Legatoria di Libri
G. CHIARELLA
4, Via Fiesolana
FIRENZE

3
3
235
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE • FIRENZE •

Digitized by Google

VII

NOM

Digitized by Google

LIBER
SATYRARUM
SEXDECIM
FREDERICI NOMII,

Anglarienſis, Presbyteri, Argati inter Concordes Academici Inſenſati.



LUGDUNI IN BATAVIS,

Apud JORDANUM LUCHTMANS,

M DCC III.

Etſi noſtra pede uno feſtinata laborant
Carmina, Pierio ſunt ſubigenda foro?
Cum Venerem ſpinâ claudam cecinere Poetæ,
Diſplicuit læſo nil Cytherea pede.

ILLVSTRISSIMO ET CLARISSIMO

VIRO,

MERITIS

ET

VIRTVTIBVS SVMMO,

ANTONIO MAGLIABEQVIO

SALVTEM PLENAM PRECATVR

ARGVTVS.

Scio, neminem ægrius temporis jacturam ferre, quàm homines, qui jam æternitati nomen ſuum literarum monumentis dedicaverunt. Quare timeo ne nimis audacter exigam à te, ut Satyras iſtas noſtras, tuo prodituras ſub auſpicio, legas, cum hoc ipſum tempus poſcat, quod à Theophraſto pretioſiſſimus appellabatur ſumptus; quippe Zenone teſte, nihil eo magis deerat ſum-

mis viris, cujus inopia laborabant. At cuinam donandus novus hic libellus, niſi tibi ſummo literarum Patrono, quique ſoles

Muſarum eſſe aliquid putare nugas?

Ad te igitur mitto, tuique juris eſſe volo. Non poterat tutior eſſe domi, quam te prodire auctore. Prodeat, vel lateat tuo arbitratu, tuâ ſententiâ probetur, quam veluti Oraculum veneror, & quo jubente factum obliterabo, Senecæ aureum monitum oblitus, *Quis eſt qui tempori pretium ponat?* Meos labores ad tuum nutum vel amato, vel aſpernator. Tu Vale.

LECTOR
HUMANISSIME.

PERS. *Sat.* I.

Quis leget hæc ? ----
--- Sine me haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis,

ut cum Virgilio principe poëtarum loquar. Hoc enim ſibi proprium ſumpſiſſe Satyra videtur, ut in vitia liberiore ſtylo feratur. Aſpicies nec mihi peperciſſe, nec meis, nec Dynaſtis, nec Regibus ipſis, nec ſacris viris, quos tangere piaculum alioqui eſſet, niſi animi noſtri ſinceritas nos excuſaret. Pharmaca adhibemus potentiora, ut à radice averruncentur mala, ſi fieri poteſt, ex illo Ovidiano, quod Jovi tribuitur, eruditi:

Cuncta prius tentanda; ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Quare eos ipſos rogatos velim, ut exiſtiment, non me eſſe locutum, ſed mea carmina eſſe vulgi vocem, eamque Famam, quæ volans ſæpe veris falſa miſcet; atque etiam, ſi malint, omnia eſſe falſa, &

tantummodo appoſita, & objecta, ut ſciatur, fugienda fuiſſe, ſi forte vera forent, veluti ſit à Rhetoribus in Theſi quadam. Illud Horatii de una re dictum ad plures transferri poteſt;

Verum ubi plura nitent
Non ego paucis offendor maculis.

Nec Puer unius anni Sapientis oraculo, liber omnino ab omni crimine eſt. Quapropter ſciant juſtiſſimi Principes, virique Clariſſimi, à nobis ſua cætera probari, dum pauca, ipſaque non gravia, neque deformia admodum culpantur. Sciant denique eſſe quædam vitia adeo proxima virtutibus, ut cognata videantur, & difficile ſit in contraria non currere, dum contraria vitamus, talemque eſſe modum in rebus, & fines adeo conjunctos officiorum, ut ultra citraque nequeat rectum conſiſtere. Quid enim aliud eſt Avaritia, quam fuga Prodigalitatis? quid Sævitia, quid Miſeratio, quam nimius receſſus, vel acceſſus ad Clementiam? Decipimur ergo ſpecie Boni, & dum ſtudemus ab altero extremorum declinare, in alterum prolabimur. Accedit, quod non idem judi-

judicium de re eadem omnibus eſt, & quicquid Cajo placet, Pegaſo diſplicet, nec alia de cauſa, quam quod

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Quis majores & conſtantiores laudes commendationeſque ſcriptorum obtinuit, quam Auguſtus? quis præconiis illuſtrioribus clarus fuit à Sacris Hiſtoricis, quam Conſtantinus? Atqui uterque male audivit, & non omnia habuit ſine controverſiâ prædicanda. Redeamus ad rem. Non iccirco minus extollimus famam aliquorum, ſi una, aut altera eorum facta improbamus. Nam qui pacem ſuper omnia bonam expetit, Salomonem eliget, non Davidem, veluti Ideam Regum; Quippe ſceptrum illius mite, hujus tumultuoſum inveniet. Taciti præceptum & ipſe legi, De Regibus aut ſilendum, aut bene loquendum; propterea quod non tutum eſt ſcribere de illo, qui poteſt proſcribere. Sed non in dura illa tempora incidimus, quando & aures domeſtici parietes habebant. Quanta pietate, religione, & veneratione proſequamur

prin-

principes viros, dominoſque rerum, alibi teſtati ſumus, nunc Satyras ſcribimus, non præconia de egregiis eorum dotibus. Hoc apud te Lectorem, apud illos, apud omnes teſtatum relinquimus. Tu Vale.

TETRASTICHON.

Nil vomere Euterpæ fellis, nil glubere cordi eſt;
Si minus ergo juvat, hæc mea culpa facit:
Nam nimis indulgens famæ dum comprimo telum,
Carmina nec curant, carmina nec feriunt.

Presbyter Fridericus Nomius Anglarienſis

ANAG. PVRVM

Acer, florens, dignus primus ibis in re

SATYRAE.

EPIGRAMMA.

Sit Satyra quiſnam potior tu Argute requiris?
In tribus hac Latii quaſtio Principibus.
Acrior eſt Aulus, florentior eſt Juvenalis,
Plus Venuſina ſapit ſeria Muſa jocis.
Acer tu, florens, in re primus Satyra ibis,
Dignus, cui tribuat gloria trina locum.
Innocuus mordes, vitiis blanda arte mederis,
Qua placet, & ſanat: Cedite Romulida.

JO. BAPTISTA CAPALLIVS,
Aretinæ Cathed. Decan.

SATYRA I.
CVR SATYRAS SCRIBAT.
AD
ILLVSTRISSIMVM EQVITEM
PROSPERVM MANDOSIVM
ROMANVM.

NON *ſatis eſt doctiſſimo* Malliabœquio, *ſuo calamo claros viros in cœlum evehere : ſed alios quoque plaudere cupit, ut multiplicata vox grandem illam Stentoris Homerici æquet. Si de me fatear, non talis ſum, qui poſſim momentum addere ; verum in choro canentes, vel potius ſtrepentes quoſcunque admiſit Græcia.*

Ejus hortatu primam nomine tuo fulgentiſſimo, famæque jam noto Satyram ornavi, in qua nihil optimi videbis, parum boni, plurimum peſſimi. Attamen tanto Varroni parendum eſt; cum enim, præter ſummam eruditionem, omnimodamque ſcientiam, in eo candorem animi, antiquamque fidem amicitiæ venerer, cur ipſius dicto non obtemperem ? Tu igitur nobilitate, ſtudiis, moribus ſumme, mea hæc minima complectens, tecum attolles, tuæque erit humanitatis laus; ſi creſcent, aliquid exiſtimationis aſſequuta, non quod mea ſint, ſed quod te auctore ferantur & Patrono. Unum mihi licet, & hoc ſpondeo, voveoque, in poſterum me futurum ſemper famulum addictiſſimum, ſi tuæ gratiæ non contempſeris accedentem. Vale.

Inter Concordes Claſſis Argutus.

SATYRA PRIMA.

VIRTUTUM meritis, Atavorum ſanguine grandis
Mandoſi, vates, & vatum Proſpere cuſtos,
Quod terris optatum olim, meliora tulere
Fata: Loqui licitum eſt, & aperto vivere voto. [1]
Aleæ opus plenum non jam ſua carmina profert
Incertæ vates, ſubeuntque pericula nulla,
Ut nuper cuſa hæc dentur ludibria ventis.
Imperium tali Dii Regibus indulſere
Virtute excultis, quâ vix ſuper æthera major
Emicet, & vitium ſi unquam atro dente petatur,
Se ſpectare nihil, nihil hoc ſe tangere credant.
Quod ſi Criſpinus, quod ſi Narciſſus in aula [2]
Indignis multum valet artibus, exilium, vel
Pœna brevî eripiet juſto conſcripta Nerone.
Quaré nemo anguſto audet de tramite greſſus
Flectere, vel quiſquam & ſancti ſtudioſus & æqui
Fingitur, oſtendens vultu contraria menti.
Traduntur ſic ſcripta manus variata per omnes.
In menſis & Muſa placet citharâ, tibiiſque,
Ut confricta ſolent obſonia teſticulorum.
Sint igitur ſuperis gratesin commoda pronis
Noſtra: Putat nemo ſibi ſcomma in crimina verti,
Et mores ſale diffindi, & dicteria ſpargi
In ſcelus occultum. Probitas jam creſcit ubique,
Ingenii vis laudatur, faciliſque Poëtæ,
Dum ſenſus effert animorum interprete linguâ,
Copia dum jaculis mentes oblectat adactis;

Et

ADNOTATIONES.

1. Tangit ea tempora, quæ deſcripſit Tacitus lib. 1 Annalium, quibus ne quidem licebat queri, at modo cum regnet Nero juſtus: nihil enim in Nerone fuit, quod argui poſſet, ſi primum ejus quinquennium ſpectetur, ut legere poſſumus apud Senecam de Clementia in ipſo exordio.

2. Criſpinus, & Narciſſus ſunt nomina Aulicorum ſatis nota apud Hiſtoricos, & Poëtas. Atque utinam ſub aliis nominibus illorum vitia non vigerent, in multis, qui malis artibus modo ſunt apud Reges gratioſi in aliorum perniciem.

Et quamvis teneros riſus perfundat aceto,
Ut medici miſcent ſua pharmaca rebus amaris,
Servando procul à vitiis abſinthia proſunt.
O utinam mundi facies hæc talis, & ordo
Permaneat, cum vix quidquam cernatur iniqui!
At ſi quid ſceleris pingo, ſua triſtis imago
Diſpliceat viſa, & ſontes deterreat error.
3 Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas;
Sed quibus ipſe malis careas quia cernere ſuave eſt.
Lætitia juſtis cor geſtiat innocuum, & mens
Formidans levibus ſe tangi ſordibus ullis.
Poſſet, quis dubitat? mulier formoſa colore
Bertini telis donari quælibet, at non 4
Gratia tanta foret; Virtus variare figuras.
Inde eſt, ſanguineis quod crinibus Hectora ſæpè;
Squallenti & barba; macie titubantia ſæpe
Oedipodis pingit fugientis mœnia Thebes
Membra, vel obductos palloris imagine vultus,
Qualis dum gremio matris gemitu pavet infans.
Sic placet Artis opus, deformis forma, manuſque
Ad Græci exemplum noſtri laudatur Apellis.
Nos ita nunc faciem vitiis aptare timendam
5 Nitimur, horrore ut trepidet vel concitus Atlas,
Non ſecus ac viſu ſtetit oris Gorgonei mons:
Iccirco ingenii vires intendimus ultro,
Et ſi quid Fabii ludo profecimus, haud nos
Pœnitet aſſiduos tot declamaſſe per annos,
Conſilium Annibali dubio Sullæque ferentes.

3. Sunt carmina deſumpta ab pſo Lucretio Philoſopho Poëta, juod ſæpe fit in carminibus Juenalis, Horatii, Virgilii, Perii, & aliorum, non quia neſciet Auctor ea facere ſua mutatis ocibus; ſed quia id virtuti triuit, ideoque furtum potius fatur, quam negat.

4. Per Bertinum intelligit unmum pictorem Petrum de Bertinis, ſeu Berettinis Cortonenſem, quem honoris cauſa nominat ſcribens ad virum Clariſſimum, & Doctiſſimum, qui novit eum, amicumque habuit.

5. Nota eſt apud Ovidium fabula Atlantis in montem verſi aſpectu capitis Meduſæ in clypeo Perſei latitantis; id vero factum formidoloſo horrore dicit Auctor.

Et quis enim nigri trepidaret monſtra barathri
Angelica in ſpecie, quam Pictor contulit olim
Sollicitus capiti ne cornua jungeret Uxor?
Denique ſi dapibus conditis arte, culinas
Mos fuit oxyporum componere, mellaque amaris
Nectere cum nucibus, revocare & languidiori
In ſtomacho vires, dum plenos ingluviones
Allia, Serpillumque, herbæ ſolantur olentes,
Carmina ſæpe placent vitiis infeſta, minaci
Dum ſonitu apparent, ſtricto & mucrone coruſc
Non tamen effundit rabido quas ore ſalivas
Vipera, complectar: Virus miſcere ſub undis
Aonidum ſpernit manus innocua & genialis;
Nam prodeſſe velint, ſeu delectare Poëtæ,
Vulneribus neutrum efficiunt; lapideſque canendo
Si movet Amphion, muros ſtruit Urbis Cadmi,
Non parat excidium rebus, populiſque ruinam.
[6] Quare decipitur, procul & me judice aberrat
A veris, quicunque rapit gladium, ſtilus ut ſit,
Et quamvis etiam nos experientia poſſet
Ducere non dubiam repetita in cognitionem,
Quod maledicta juvent, blande & convicia lactent
Auribus inſtillata virum, mea guttura lædit
Hic inſueta cibus: Pro aliis obſonia mentis
Suppeditet, guſtus quibus eſt, antiqua Timonem
Ut gens aſpexit, ſi credere, Μισάνθρωπον,
Dignetur quiſquam. Manet hæc ſententia nobis,
Laudandos homines, qui proſunt, vel Crepereios,
Vel delatores, ut magni Marcus Amici. [7]
Turpia ſed Plautus ſi audet committere ſcenæ,

Vel

6. Quamvis Satyras ſcribat Auctor, in vitia invehitur, & non in Perſonas, quod ubique vult eſſe repetitum, ſiquidem crimina naturæ fragilis vellet expellere, non extollere.

7. Crepereius, & Marcus ſunt notiſſimi apud Juvenalem. Senſus vero eſt, & homines aliquo vitio plenos eſſe laudandos, ſi proſint hominibus; iccirco ferri non poſſe Carum, pro quo intelligit quemcunque Poëtam inſerentem ſuis in fabulis ea, quæ moribus obſint audita. Reliqua ſunt clara eruditis quibuſque.

Vel noſtro ſordet fallax ſi pagina Caro,
Æquum eſt, conticeat proſpectans turba theatro,
Moribus & pravis juvenum lena impleat aures?
Tunc clamare decet populum, tunc deſinere ipſis
Æſopis, etiam majorum delitiæ ſi
Sint, jubeat Cenſor. Deſcendit dulcis ad ima
Viſcera vox; reſidet pueri ſub pectore virus,
Et monſtrata joco vere trahit orbita culpæ.
Quod ſi quæ fuerat cinctutis Roma Sabinis, [8]
Nunc foret, impuros tegeret ſua ciſta Latinos.
[9] Nec lupa tot ſanctos corrumperet una Metellos?
Detegeret fures; felici carmina curâ
[10] Cantantes Publios Metius laudaret, & ante
Corrige Quintilius dixiſſet, cum recitares.
Tityrus umbroſa ſub quercu tractat avenam
Et pellem loculo profert ſcripturus obeſam,
Non ergo aſſurget? Contra eſt Lucanus in hortis
Marmoreis; Pandunt iccirco Elicona, tubaſque
Pierides donant? Si deſint hercule ſummi
Hiſtoriæ verſus, non cingat Laurea crines.
Aſt urbem trahit ingenti dulcedine notam
[11] Tityrus ad vocem, tantaque libidine vulgi
Afficit ille animos, ut rivi nectare pleni
Fundi, ac ambroſiâ divo videantur ab ore.

 Quid

8. Si talis eſſet Roma hoc noſtro tempore, qualis ab initio fuit, plus curæ poneret in cenſura morum. Et Latinus ille Mimus tegeretur ſub ſua ciſta, ut eſt in veteri fabula, & non auderet prodire in ſcenam. De hoc Latino videatur ſexta Juvenalis.

9. Metellus fuit ille, qui ex mediis flammis eduxit Palladium, ideoque cæcus factus eſt. videatur Val. Max. lib. 1. Ob hoc ergo factum appellatur ſanctus, ut ſancti ſunt multi ad ejus ſimilitudinem, qui à cantante meretrice ſæpe attrahuntur in varios amores.

10. Publius vocabatur Plautus, Publius quidam mimorum ſcriptor. Pro his ſumuntur modeſti Scriptores Comœdiarum, qui eas prudentis Quintilii correctioni ſubjiciunt, ut volebat Horatius in arte.

11. Invehitur in illos qui potius ponderant Perſonas, quam Poëmata, & magis conſiderant quiſnam ſcripſerit, quam quæ ſcripta ſint. Et ſolliciti in primis ſunt apparatus in ſcena, nil penſi habentes electione Comœdiarum, aut Tragœdiarum.

Quid craterarum delectant millia Romam,
[12] Dum Trojanus Equus ſcenæ committitur, & quid
Armorum genera, & clypeis quod fiat ab ipſis,
Aut ſtratos ſcandat fatalis machina muros?
Sexcentis vanum eſt mulis ſpolia in Clytemniſtrâ
Regia vectari, ſi rebus pondera deſunt:
Effutitque leves indigna Tragœdia verſus;
Quid juvat oſtentet ſponſorum cæde cruentos
Fabula Hypermneſtræ thalamos; ruat ipſa feneſtris.
Quin Junonis avem populus videat venientem,
Quæ varie pictis tollat ſuper aëra pennis,
Incolumemque procul demittat? Sola Choragi
Laus iſta; hoc vulgus commendat, & hoc Faber imus,
Tullius ut Mario Cicero ſcripſit; ſed homo nil
Æſtimat, & nulla ornat laude politicus iſta;
Magnificas quamvis nemo neget, atque ſuperbas
Spectandi ſpecies dicendas, pegmata, veſtes.
Quæ primum Medea locum ſibi vindicat, alte
Hippolytus florens, Troas divina videri,
Et pompâ exutæ, poterunt ab Apolline naſci.
Fortuna OEdipodis Sophoclæo digna cothurno eſt.
Sique aliquid vates mereantur laudis Hetruſci,
Sublimi ſemper regnat Sophoniſba Camænâ.
Thuris mundus habet quid miri; ſed Solymani
Nunc placet, & placuit grandis facundia: mores
Luſcinia & Patavi melius caſtigat ad unguem.
Non bene præfigit titulum nomenque Poëtæ
Ille ſibi, meritum cui dant thyromata, cuique
Gloria ſtat pictis ſipari maxima velis.
Inde minus Trojæ Florentia plauſit Haloſi,
Et tam fama diu ſcriptoris viva ſonabit,
Quam cantus vivat; voci aut ſimulacra ſuperſint
Et Caveæ ſonitus vacuas transverberet aures.
Dramata tot videas, Venetis celebrata parergis;
Quis legit hæc, iterumque petit? renovare videntur
Sæpe

12. Hoc factum fuit in quadam inſigni tragœdia, ut ex clypeis formaretur equus, & mox in clypeos reſolveretur.

Sæpe modos, primos cecidiſſe; Perit vetus illa
Gratia, nec quicquam ſupereſt, quod floruit ante.
Stulti igitur Vates, uſuri bardocucullis
Sunt, quibus indoctus falſam dabit hiſtrio normam.
Si cauſas poſcis, numerabit Ariſtoteles, &
Jurans in verbis bene Caſtelvetrius ejus:
Carmina ſi vero cuiquam præcordia tangunt,
Hæc arcana, magis tragico præſcripta Sophocli,
Et Flaccus tenet, & Vidas, Mutiuſque, & noſter
Omnibus æqualis, poſtremus tempore quamvis;
13 At quiſquis canit, & queritur, ſuperaſſe putandum eſt
Monſtra, quibus crevit Græcorum fabula mendax,
Vel Scyllam referas, vel Sphingem, vel Polyphemum,
Vel Phineâ quotquot ſtabulantur in arce volucres,
Flebilis effingit, qui animis cælantur in imis.
Cantus, ais, varios motus, & voce Neronum
In lacrumas oculos cogit. Quis durior ipſis
Rupibus, aut ſcopulis, qui non flectatur ab Inu,
Dulciſono quoties ſupplantat verba palato,
Et modo pacificum loquitur, modo ſurgit ad iras?
Credidero forſan, morem geſturus; at atris
Quis feret in rebus Peleos audire canentes?
Quis criſpare Inon voces patietur? & inde
Chironomon Ledam læves ſaltare Bathyllos?
Vera loqui ſi fas; amens hodierna Poëſis
Eſt nimium, nimiumque errant, dum pulpita cantum
Fundere Marcellos inducunt, Hannibaleſque.
His diverſa fluat ſententia Curculionis,
Aſſeclaſque habeat. Non voto vivitur uno.
Immo etiam pereunt (ſi quicquam Tullius ipſe
Juris habet) Veneres omnes, dum Theſpis abundat
Magnificâ in pompâ: Rapiunt ſpectacula ſenſus
Diviſos varie, Socratis nec dicta notantur;

A 4 Quan-

13. Non laudat cantus laſciviores in Tragicis operibus, vel quia non deceat ejuſmodi Muſices corruptela in querelis, vel quia ſenſus verborum fugiat, dum voces intorquet Cantor, & criſpat more luſciniæ, ut experientia docet.

Quando quidem quiſquam ſermone effuſa pedeſtri
Dogmata Chryſippi, quîs penſat mille Quirites,
Inſtructos pilis, fulgentes murice, & auro,
Quum Nero dat ſcenæ, rapiunt oculoſque ſedentum?
Hinc conjecturam facias, cum luſciniæ inſtar
Vox volat, atque redit, criſpatur, tenditur, intra os
Murmurat, inde fugit, revocatur ſæpe retortis
Ictibus, & docto miram ſe gutture jactat,
Ut mora longa prius veniat, quam ſyllaba tangat
Aures; quid poterit perceptum colligi, ut unus
E populo ſaltem referat, docuiſſe tragœdum?
Unde ego digreſſus redeo. Nihil haud expertum
Committant ſcenæ Ædiles; cum lecta potenter
Res erit; in pompis tunc huc, tunc dividat illuc
Ipſe animum, ludis ut ſit condigna paratis
Exterior ſpecies, ornatu & gloria ſurgat.
14 Aptus Ariſtophani Βατράχων chorus; hos imitatur
Ex noſtris quidam; ſoccos fortaſſe cothurnis
Non bene diſtinguens: perſonis fabula differt.
Agricolæ cepis & crambe menſa paratur;
Ergo eadem Regis fingenda eſt cœna Thyeſtæ?
Quiſque procul fugiat, Plautinus Soſia clamat,
Cornua namque boum mea ventre crumena coërcet.
Hoc ſalis ut noſter tragicis utatur in aula
Expoſitis rebus, contendit: Purpura ſentit.
Siccato hæc naſo maledictis hæc malefacta.
Quem tu naſcentem reſpexeris, illum, Erato, illum
Eſt pretium mordere: facit ſæpe ira Poëtas.
Curculio intumuit, ſua quod cantantur in urbe
Carmina, quid mirum? fert hæc ſuffragia mœchus.
At trutina ſi quis ſuſpenderit omnia judex,
Nil ſolidi inveniet, niſi quod ſudaverit alter
Et vitium hoc commune ſolet ſcriptoribus eſſe,
Nocturna verſare manu, verſare diurna

Qui

14. Culpat quod Comica Tragicis immiſcentur nulla decori habita ratione, ita ut quandoque ſcurra cum rege triſtiſſimo tempore colloquatur.

Qui Auſonia effugiant, quique exemplaria Græca,
Et quoties ſumant, tunc Lexica obeſa terantur,
Dum minimis hærent ignota, & ſingula quærunt;
Quid facerent medii, quando confinia ſtarent
Diſtinguenda ſtyli? ſummuſque legendus, & imus?
Nec Placitæ putes, tali Comœdia lege [15]
Dumtaxat claudatur; habet Lyra forſan eamdem:
Cotta, & Scraberius Parnaſi in vertice poſcunt
Conductas ædes in collibus, aut Aganippes;
Quique nec Idæam Juli videre Camilli,
Quidve Catachreſis ſit, quidve orbita ſcripti
Thematis, expectant albo dare nomen ineptum
Phœbæo, & calamos ſibi fingunt, balſama ſtillet;
Ut poſtquam patulas Melibœus præſtitit aures
Verſibus æthereis, impoſta refundat acerræ
Thura, aliquid tandem Divini & adoret in illis.
Baſia ſi ceſſent crepitantibus obvia buccis,
Curculio ſemet laudans, hæc, inquit, ad uſque
Intacta hæc aliis myſteria Calliopea
Servavit nobis: flores hos colligo primus.
Et neſcit, nomen merito ut ſibi quiſque Poëta
Uſurpet, teſtiſque ſalax ob id Arbiter ipſe.
Non ſatis eſt tenerum verborum intexere ſenſum
Ambitu, & inſtruere in pedibus, ſed oportet ubique
Ut careat vanis, generoſior excitet œſtrum
Spiritus, & pleno Muſarum flumine abundet:
Sin minus, in gemino facerent vel ſomnia monte
Vates, & cives Helicon ſibi ſcriberet omnes,
[16] Ut cedat ſenio non arte Catella Maroni;
Gallinæ pullus ſi quando pipilat aſper,
Luſciniâ haud diſtet, cantus natura magiſtram

15. Placitæus nomen eſt aptatum Narciſſis ſuimet amantibus, qui ſuum ſtylum optimum cenſent, aliorum modos damnantes, cum potius ipſi reſpicere ſua deberent. Variaque Auctor notat vitia Poëtarum in hoc ſui temporis. Qui legit, intelligat ut lubet.

16. Catella eſt quædam Poëtria nōn contemnenda, ſed pluris æquo ſe extollens, ut nullum hujus ſæculi Poëtam parem ſibi reputet, immo antiquos, ipſumque Maronem opinetur ſuperaſſe.

Quam voluit, Corvuſque ſenex crocitando, vel Ibis.
Et quid plura? Novus ſibi Fauſtulus ire videtur
Calliopes natus Phœbique Odriſius Orpheus.
Jam reliquis unus vult regula Bacchius eſſe. [17]
Infimus ex trivio quiſque eſt ſpernendus & ultra,
Bombis Papinii frangat niſi more columnas
Porticibus, tanto & crepitent ſubſellia verſu.
Mummius at contra planum quodve æquoris inſtar
Nil tumidi extra ſe mittat, lactis vocat amnem,
Petrarchæ noſtris, Latio fert Virgilianum,
Cujus nativam commendet gratia formam.
[18]Panſa in acuminibus ſtomacnum movet, hæc vocat ipſe
Lumina, ſic centum facie unâ jungit ut Argus:
Hoc tamen in vitium ducit; Lampyridos iſtis
Lux imitata; nihil tenebræ ſub nocte levantur;
Immo cæleſtis ſpiſſis Via Lactea ſignis
Cernitur, & macula eſt, pedibus calcanda ſupernis.
[19] Incola Piceni, picarum more loquelam
Poſſe hominum proferre putat, ſed garrit ad inſtar
Cornicis, verbis alienis quæ irrita clamat.
Cum Protoplaſtes temerarius ore momordit
Pomum, ſcire ſuum tunc perdidit abſque labore.
Quod niſi feciſſet, Momus prærodere noſtra
Haud poſſet, quæ ſponte fluant, velut ilice mella.
Nunc eſt ſudandum, ac incude novâ nunc verſus
Formandi; delere aliquos, purgare neceſſe eſt
Omnes, & mordere ungues, cubitoque manere
Preſſo; vix tandem veniunt Epigrammata, quanvis
Urſa-

17. Bacchius eſt nomen pedis, & ideo ſumitur pro quodam Poëta, qui ſua ſemper exponit ad exemplar, nec probat niſi quæ ipſe fecit.

18. Panſa hic eſt quidam, qui totas ſuas odes ſpargit acuminibus, quæ plerunque ſunt educta ex eadem agnominatione, & quemadmodum primo placent, tum diſplicent, & habentur odio ab iis, qui cum illo non ineptiant.

19. Non probat exteros, qui Thuſcorum verba audent damnare, ſiquidem alieno illi idiomate, iſti ſuo ſcribunt. Incolam vero Piceni pro quolibet alienigena ponit, nullum certum hominem ſignans.

Urſarum ritu lambantur cuncta, & alantur. [20]
Quod ſi quem major docet arma furor cantare
Reſque Ducum geſtas, Regumque & triſtia bella,
Palleat in chartis opus eſt, totoque Decembri
Abſtineat Venere & Baccho, ſomnumque remittat,
Filius ut Taſſus mania flava ſtimulatum
Turbatumque caput furias torquere flagello,
Inviſoſque Deos credat, Genioſque loquentes;
Sede trabes fractas, convulſave marmora cernat.
Inde putet ventis vigiles ſparſiſſe labores.
Nulla venit merces; eſt fruſtra buccina vati;
Nec miſeras ædes Maculonus commodat alter.
Quod ſi non deſunt melioribus, & divinis,
Qui cecinere prius cum Muſis arma, virumque,
Sævus Ariſtarchus, mordax & Zoilus; ante
Hos quis ferre pedem poterit? Quis Ludovicos
Vincere, Torquatos, Franciſcos, aut aliorum
Parvum, ſed ſummis tollendum laudibus agmen?
Cur igitur canis ipſe tubâ, Budæque pericla,
Et Palmæ reſonant? Quæ te dementia adegit?
Ut veris fatear quæ conſona ſunt; nihil ipſe
Conſilii tunc primum habui; crevere ſubinde
Res: fortuna loco hoc poſuit me, ſive ſecunda,
Sive adverſa fuit. Forſan Deus otia fecit.
Sic melius Cytharam Pelidæ tangere amavi,
Quam Grajum mactare gregem Telamonius Ajax.
Denique Chriſtiadum modulatum carmine laudes

Quis

20. Difficultatem tangit eorum qui ſcribunt heroica, & dicit quoſdam caſu in hunc errorem veniſſe. Scribit denique, ſe Satyras ſcribere, ut ſit imitator Juvenalis, cujus verſionem molitus fuit.

Nomina ſunt quædam educta partim à ſimilitudine, partim ab effectu, partim ſunt recepta jam ab aliis impoſita perſonis, ideoque ſatis nota literatis omnibus, & ſi quis putaverit de ſe loqui Auctorem, ſciat hunc more ſacrorum Concionatorum oſtendiſſe, quæ putat eſſe vitanda. Itaque prodeſſe in animo ſibi fuiſſe conſtitutum omnibus, nemini contumeliam irrogare. Quod in ſequentibus Satyris omnibus repetitum vult.

Quis culpet? Certe referet mihi præmia Cœlum.
Sed crede erratum. Jacta eſt nunc alea, puncto
Aptandum ingenium. Elleborum mihi ſi paret omnis
Anticyra, indigeo, ſorte ambitioſior ipſa;
21 Quod trahit Auruncæ raptim modo crimen ad Urbem;
At, ſi quando labor properantem junget Aquino,
Tunc refici potero Cyrrhæo fonte ſacerdos.

21. Innuit hic ſe feciſſe Hetruſcum Juvenalem, & parare Satyras ſexdecim Latinas ad ejus imitationem.

Doctiſſimo Excellentiſſimoque inter Concordes Claſſis Arguto Eques Proſper Mandoſius Salutem.

Elegantia, arguta, venuſtaque carmina multiplici æque, ac exquiſita eruditione referta, mihi perbenigne dicata una cum tuis humaniſſimis litteris reddita, gratiſſima omnino fuere. Iterum ac ſæpius legi cum voluptate. Summis deberem laudibus extollere; at quia mihi haud conceſſum ob mei tenuitatem ingenii, copioſiſſimæ laudationis loco ſatis eſt dicere, ex Doctiſſimi Arguti noſtri fæcundiſſimo calamo prodiiſſe. Maximas tibi gratias ago, gratiaſque jugiter commemorabo, præſertim de laudibus, quibus me exornaris, meis quamvis à meritis abeſſe intelligam. Videas itaque quantum officii ſuſtineam; hinc tua juſſa efflagito, ſemper etenim tuis perjucunde mandatis obtemperabo. Benevolentiam, quam mihi oſtendiſti, perpetuam eſſe velis. Vale.

Romæ 11 Julii 1693.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO

D. ANTONIO MALLIABECHIO,

SERENISSIMI MAGNI DVCIS

BIBLIOTHECARIO,

Viro Candidiſſimo, & Doctiſſimo

S. P. D.

LITIS *non jocoſa, non inanis, & ſi per jocum, & inanibus dicteriis enarrata, judicem te duo tempora, Præteritum, & Præſens, fecerunt, non tamen honorario aſſe appoſito pro ſententia ferenda. Tu, quem avaritia non vexat, nihilominus rogo, velis expendere, utrum meliorem cauſam foveat, tuique ſit arbitrii quæſtionem valde implicitam dirimere. Puto, utrumque finem ſibi impoſiturum; tanta in Republica literaria tua eſt auctoritas, & pene regale arbitrium. Imitabere Optimum Conſultiſſimumque fratrem tuum Jacobum in omni jure facile principem Romæ, reorum dulce præſidium, Aſtrææque tutelam, qui poſt aurum nunquam abiit, nec ſperavit in pecunia theſauris; ſi quod gratis à Deo accepiſti, votum gratis dederis. Tibique à datore omnium bonorum bona cuncta precor. Vale.*

Argutus inter Concordes Claſſis.

Doctiſſimo Arguto Salutem

ANTONIVS MALLIABECHIVS.

SI *tè antiquos æquaſſe dixero, parum dixero; ſi ſuperaſſe, nimium dixero. Quid ergo? Dicam nihil hoc tempore me legiſſe ſuavius, nil Latinius: ita hodiernum ſtylum cum antiquiore miſcuiſti. Gaudeo noſtris temporibus Juvenalem eſſe renatum, meoque nomine nuncupatam ſecundam Satyram gratias ago. Me tuum omnino hoc munere faterer, niſi jam fuiſſem. Quare te rogo, ut ames eo corde quo cepiſti me certè redamantem. Vale.*

SA-

SATYRA SECUNDA.

Inducuntur Hodiernum & Antiquum Tempus de vitiis colloquentia.

POETA.

ANTONI, quo non vita eſt præſtantior alter,
Quique antiqua potes recitare ſtans pede in uno,
An melior noſtro volvatur tempore mundus,
Quam olim, cum ſævi tractarent ſceptra Tyranni;
An veniant potius nova quotidie incrementa
Nominibus, cauſa eſt te prorſus Judice digna.
Ergo tibi referam interpres, quæ dixit utrumque
Scilicet Antiquum Tempus, Tempuſque Hodiernum,
Illorumque ſono nil demam, nil ſuperaddam.

Hodiernum Tempus

Poſt longæ tenebras noctis mea lumina tandem
Aſpexere diem. Patior non vincula Sexti,
Non me poſtremus cogit dare colla ſecuri
Flavius, aut virgis Macedo ſervilibus uri. [1]

Antiquum Tempus.

Ah cave ne Reges ſint deteriora ſecuti,
Et res in pejus pereat vertigine turpi,
Sitque hodie minor ac here deterat, atque eadem cras
Exiguis aliquid rebus. Jam crimine Divos [2]
Auctores ſolamen erat prætendere, at iſtis
Temporibus nec ſpes ſupereſt hac ſe arte tueri.
Ho. Conſonat hæc veris cenſura; ſed una Neronis
Vita ſatis, Capreæ dum claudunt, vincat ut omnes [3]
Quot ſunt, & quot erunt Reges: ſtuduiſſe perenni
Eſt

1. Tertius ex gente Flavia fuit Domitianus ultimus XII Cæſarum, de cujus ſævitie, aliiſque vitiis multa Juvenalis. Macedo eſt Alexander Magnus, qui juſſit nobiles pueros in morem ſervorum virgis cædi. Q. Curtius lib.

2. Ad excuſanda ſua vitia Reges aliquot exemplo Jovis aliorumque Deorum uſi ſunt, ut fuit Antoninus Caracalla.

3. Neronis quænam vita Capreis, notat Suetonius, & Tacitus.

Eſt curâ viſus, ſcelerum ut nova nomina factis
Adderet, & ſeſe maculatus vinceret ipſe.
Hunc ſtatuo in librâ. Tibi quiſquam eſt? contra repone.
Invenias aliam: Meretrix auguſta cucullos
Meſſalina capit, titulum mentita Lyciſcæ, [4].
Deſerit, & nondum luctis ſatiata, lupanar.
Aſpice ſævitiem: Sullæ componere quemquam [5].
An poteris? Patrum deſpumat ſanguine Tybris,
Illius in tabulam cum dicunt diſcipuli tres.
Jam Thebæa cadit legio, cui crimine culpa eſt
Eſſe procul fœdo, ſimulachra & ſpernere Divum.
Quis Senecæ venas rumpet, Thraſeamque cruentum
Demitti jubeat tenebroſi ad carceris umbras?
Quis tot Chriſtiadum, claros facientia faſtos,
Agmina crudeli trabeatus demetit enſe?
Nullâ hodie Decius, nullâ eſt Maxentius aulâ,
Et virtus quâvis procul à lictore triumphat
Margine terrarum ſe porrigat Amphitrite.
Nunc Galli deſunt, Cybele quos Alba miniſtros [6].
Nutrit, ubi puerûm thalamos connubia jungunt;
Immò hoc in crimen deſævit dextera flammis
Virginis Aſtrææ, naſcentem & proterit umbram.
Non hodie gregibus paſtorum jure Lycaon [7].
Præſidet, & Socratum ſi jam ſapientia verbis
Increpuit, rebus nunc oſtendenda Sophia eſt:
Nam morum eſt candor nullo penetrabilis ictu
Murus, & aſcendit victrix ad præmia Pallas,
Idæo quoque ſi rurſus ſub judice certet.
Nec titulos venalis habet præconis ab haſtâ
Curia, ſed meritis inſignia faſcibus aptat,

Qui-

4. De Meſſalina abunde ipſa Juvenalis, & quomodo Lyciſcæ cujuſdam ingreſſa cellam pro meretrice ſe vendiderit.

5. De Sulla Dictatore Appianus, deque Lepido, Antonio, & Octavio idem Appianus.

6. De Gallis ſacerdotibus Albæ, quos fovit Domitianus, habemus integram Juvenalis Satyram, & de illorum deſpenſatione Pueris pro uxore ſelectis.

7. Lycaon verſus fuit in lupum, ut tradit Ovidius in 1. Metamorph. ergo ſumitur pro lupo, & conſonat Græca dictio.

Quique diu latuit pauper, modo ſuſcipit alas.
Ant. Sic fieri noſtrum pertentant gaudia pectus;
Jamque uni templum Virtuti extolli, & odoris
Ipſi quod fument, exulto, thuribus aræ,
Nec bardæ ex auro componant numina gentes.
Sed veluti ad cantum volucres diſcriminat auceps,
Sic mihi non placeant omnes, variiſque legatur
In caveis probitas priſcis ignota Metellis,
Quæ noſtros cecidit cœlo meliore ſub annos.
Non tamen in vivos ſtringat Lucilius enſem,
Sed quantum valeant iſti, ſpectetur in illis,
Quorum ſarcophagis tegitur cinis alba ſepulcris.
Si memini, petitur cum Meſſalina Nerone,
Lucius & Sulla; hæc voti tua ſumma videtur.
At mihi ſunt centum, ſeſe gregibuſque coactis
Adglomerant ergo: Hic inopem me copia fecit.
Aſpice purpureis cum veſtibus intermixto.
Byſſo aſſurgentem Maſſam, lentaque favillâ [8]
Cum myrrhâ nardum, qui & fragrans ſolvit Amomum
Quid curare putas? Scalpat digito ut caput uno,
Ramicis ut vigeat fulcrum, demiſſaque ſurgat
Mentula; ſed longa Venus intercluſa quiete
Non redit ad priſcas ſenio jam languida ſedes.
Hoc viſo, effugium Cureti tentat & uda
Ravola ſpumanti Rhodopes terit inguina barbâ: [9]
Inde ſitu victus Ganymedes, atque Bathyllus,
Canitie abraſa, puerum mentitur; & ano
Cæduntur vetulo, medico ridente, mariſcæ:
Pinxere hinc Romæ, diſtentâ à pectore lance [10]
Longius, argento geſtantem jura miniſtrum
Vervecis, ſuberatque albus, quem nomine Gobbum
Hetruſci, ingenioſo emblemate fœda loquentes.

Si

8. Per Maſſam intelligimus quemdam Senatorem notæ libidinis; at quia plures fuere hoc vitio notandi, relinquitur lectori arbitrium liberum.

9. Ravola notus eſt apud Juvenalem; ſed non defuere plures noſtris temporibus hoc vitio fœdi, & radentes totam faciem, capillitioque coëmpto juvenilem.

10 Hoc ſcomma ſatis eſt apertum Romanis.

Si Meſſalinas cupis? en exercitus adſtat.
At ne quæratur, quid, àbactâ lampade, turpis
Patriciæ efficiant, ſcortantes poſte cubilis
Obſeptâ, una adſit, quam præbent ſecula veſtra,
Clara atavis, clara ingenio, rebuſque ſecundis. [11]
Unica Patris erat ſoboles, quem fama loquatur,
Digni, noſtra aliam ſimilem cui vix dedit ætas;
Sic muliebre genus precio ſupereminet omni.
Prompta loqui linguis, ſapientum dogmata novit,
Quæ nuper Samii, nuper tenuiſtis Athenæ; [12]
Abdera & ſcripſit; docuit monuitque Stagira,
Carmina compoſuit Petrarchæ Virgiliique,
Orando vicit Demoſthena, vel Ciceronem,
Et declamando Lyſiam, vel Quintilianum.
Nec ſatis hoc; Zeuxin ſuperavit docta colores
Spargere, & in telis vivas animare figuras.
Nobilitate viro in primis, opibuſque, fideque
Nupſit, & egregiis inſtructo dotibus, at qui
In mare ſe Veneris panſis immittere linis
Haud timuit, nullamque fugit Scyllam atq; Charybdin.
Oppreſſus curis Genitor, maturius annis,
Parcarum juſſu properabat claudere vitam,
Quæ fuerat rebus populo cenſura probatis,
Et quam nil Momus genuino dente momordit.
Tunc ſuper impoſita ad tabulata hæc tertia pergens,
Unde ſonus lecti pertingere vel Dominæ vox
Poſſet ad adſtantes, ſe quattuor una ſubegit
Extrema Ambroſiis ſcabie tectiſque Paternis [13],
Servitio aſſuetis. Calidum centone lupanar
Quotquot percolitis Gallæ (pretioque ſoluto [14]
Nominis Hetruſci licet iſtud non ſine culpa!)

 Dici-

11 Hæc Hiſtoria parum immutatur in fine honoris gratia, cum plures recordentur, facti Picchenæ.

12 Samii pro Pythagora, Athenæ pro Platone, Socrate, & aliis. Abdera pro Democrito, Stagira pro Ariſtotele.

13 Ambroſius nomen eſt apud Juvenalem viliſſimi hominis.

14 Apud Hetruſcos ſi ſolvatur quædam taſſa, non poteſt impediri Phrinis ars meretricia.

Dicite, quando auſæ totidem protendere ventrem?
Quæ ſimul excepit venientes nuda papillas?
Dicat lenonum viliſſima turba, pudoris
Expers, lucro inhians, Glyceram ſi immiſit ad unam
Unquam tot vitulos, ulla ſine lege ruentes?
Et quamvis veſtris pateat tali arte viarum
Optima temporibus ſumma ad faſtigia rerum,
Non niſi jam mediæ noctis venientibus umbris
Ad ſcelus hoc trepidant, & teſtis lumina ſolis
Formidant, illis veluti arcum intendat Apollo:
Verum ubi ſic didicit priſcam contemnere famam,
Cujus apud veſtras minima eſt jactura puellas,
Omne probrum pictis monſtrare coloribus, omne
Obſcænum cœpit; quicquid natura laborat
Obtegere, expoſuitque hederâ lauroque redemit,
Inde, ſua formante manu, de more Priapum
Ire triumphanti ſimilem ſtupet orbita currus,
Et per compita equis cunnus ſuperadditur albis.
Quæcunque antiqui jam fregit frena pudoris,
Ecquo non audax turpes immittit habenas? [15]
Gilloni juncta eſt pannoſo, & ludia dici,
Ambubajarum notiſſima, ſuſtinuit, ſic
Pertulit Auſonios conſtanti pectore montes,
Hoſpitia & toties, quotquot referantur egenis,
Intravit, potum & fractâ jam cantharus anſâ
Obtulit in putei ſpondâ, vel fornicis obbâ: [16]
At poſtquam rugæ ſubiere, & ſe arida pellis
Laxavit, nigri dentes, oculique minores
Fecere inviſam, gravis & comes ibat alopex,
In jugulum cultro ſævit, peregrinaque tellus
Corpus deſertis inhumatum ſpernit arenis,
Dum graſſator amans alienas tendit ad oras.
[17] Sævitiem expectas tandem? Conſiſte parum per,
Tuque

15. Pleraque ſunt deſumpta à Juvenale.

16 Has obſcænas picturas vere efformavit illa, quam hic formamus mulier impudentiſſima.

17 Vide Sat. x. de Belli hodierni ſævitie.

Tuque feras cordi, quæ ſit ſententia; non eſt
Judice opus. Tydeus mordere cadavera gaudet,
Civilique gemit tellus perfuſa cruore,
Cum ſit deficiens extinctis corpore toto,
Materiam ſatis ulla Pyris nec ſylva miniſtret.
Aſpice flammarum quantum mortaria fundant
Per luſum, pereatque prius conſumpta ruinis
Urbs, quam ſit Domini alterius juga ferre coacta.
Aſpice ut alba fides raro ſervetur, ut ipſa
Sacramentorum majeſtas fallat, in armis
Sit lucri ſpecies veneranda; hoſtiliter omnia,
Nec veniam infirmis mereatur ſexus, & ætas.
Jam quali moveat noſti victricia ſigna [18]
Juſtitia comitante tuus Rex ille ſuperbus,
Cujus in eximiis deſudas laudibus uſque!
Ancipitem dextrâ falcem mors ponit, & ignes
Tractat, ut in cineres urbes, pagique reſidant,
Pinguia quæque ſuis viduentur rura colonis:
Si qua autem pars peſte vacat, pietate ſubacta,
Deficit in lacrumas, ſubitas aut concipit iras.
Ne plura effundas: me judice victor abito.
Hod. Sed quid ais, quod vera micant, caligine pulſa?
Et Petri qui ſceptra tenet, venerabilis alto
Stat ſolio, populuſque omnis pro numine adorat?
Innocui mores rutilant, Manichæa necatur
Meſſis, & audaci procedere ceſſat Arius
Fronte minax, Luterus abit, Calvinus oberrat
Exul, & in Gyaris ſeſe vel carcere claudit.
Ant. O utinam Trinus Perſonis, unus in eſſe
Cuique Deus dicatur, ſcripſit ut Auguſtinus.
At quotuplex Italas etiam graſſatur in urbes
Hæreſis? Anne ſuos Democritus, anne Epicurus
Jactant ſectatores? ſitque licentia veris,
Verba fidem extollunt, opera autem fæda negarunt,
Pollicitum quodcunque fuit; nec ſepta tuentur

 Virgi-

18 Seu juſta, ſeu injuſta ſit cauſa bellandi, certamina tam longa tam immania jam dedecent inter Chriſticolas.

Virginibus bene propoſitum, caſtumque cubile;
Fraude mala à Veſta ad Venerem vittata movetur
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos,
Æterniſque novas miſcent penetralia flammas.
Menſibus elapſis fictam detraxit abollam. [19].
Roma viro, cæli qui proxima regna beatis
Eſſe aperiturum terris promiſerat, omnes
Averruncando ſenſus, poſitaque quiete.
Cana fides regnat; ſpernunt Artaxata mores,
Nec faciunt illi quod vos, qui trans glacialem
Oceanum ſtant, quique bibunt Tanaim, atque Niphatis
Eductas nivibus lymphas, homines & cum ſint,
Tales deſpiciunt homines jamjam reperiri.
Tu puras fortaſſe manus, cor credis honeſtum [20].
Illius, obliqua gradiens qui fronte recumbit
Cervice intra humeros flexâ, croceoque colore
Oſtentat faciem triſtis, cutis oſſibus hæret?
Falleris: Iſte cibis nunquam ſatiatur inemptis:
Turpis avaritiæ vitio, ſed parcitur eſcæ
Cimo ſibi infenſus, cuinam oſtendetur amicus?
Hod. Quid tamen objicies homini, qui poplite curvo
Semper humi recubans, non viſum numen honorat,
Tergora qui ſcuticis pulſans, veſtigia mundi
Dirigit in rectum, ſignans virtutis iter, pes
Quod teneat juvenum, Fabius, Cato quem veneretur?
Hoc genus incluſas arcta cuſtodit in Alba,
Suppeditatque cibum Danaës, quo pellere poſſit
Tela Famis, Veneriſque ſimul. Modo parcere linguis
Eſt opus; horret enim minus æquos fama ſonare
Rumores. Sic fit præſens manus apta ruinæ,
Et fulcit greſſus, validoque haſtile tuetur,
Nec facilis cuivis rigidi cenſura cachinni eſt.
Mos iſtis ſemper genua incerare Deorum.
Nam faciunt perfectius, interque optima cernunt.

Ant.

19 Molinæ, aliorumque aſſeclarum nota eſt gliſcens opinio, & vix gladio Petri coërcita Quietiſtarum hæreſis.

20 Illos tangit, qui facie ſimulata ſanctitatem effingunt, ut decipiant incautos.

Ant. O Corydon, Corydon, nervum tetigiſſe videris,
Quo tacto cecinit, canit, & canet omnis ubique
Lingua: hinc in vitium, quo ſordet Nævolus, itur;
Vulgus inexpertum, rude prorſus rebus agendis
His credit, ſed non bene olet ſub pellibus Agni
Sæpe Lupus, nec vita omnis profundit odorem.
Quod ſi jura velint, reperiri conſona rebus
Nomina, quem dicunt hæc ſecula Pſeudo-ſanctum, [21]
Invenient veteres Planum dixiſſe togatum,
Qui cupit impoſtor mutarier æra lupinis.
Lactabant variis olim genium ſenis orbi
Muneribus, primas tabulis expungere ceras
Dum cupiunt; veſtro ſed tempore ſufficit una
Hæc probitas, facilis via, certa eſt omnibus hæc ars.
Quem putat eſſe bonum Populus, committitur illi
Summa auri, ad libitum quam dividat æquus egenis.
Sed latro magnificas ædes ſibi, prædia, villas
Comparat, atque ſuis cenſum componit Equeſtrem.
Sufficit &, quoties ibi turba frequentior adſtat,
Si panis fruſtum aut pueris dedit ipſe minutal.
Præterea ſanctum nihil eſt, & ab inguine tutum;
Cum, quas caſta regit Veſtæ prudentia, ſacras
Cuſtodes æterni ſæpe ſubegerit ignis.
Nec ſatis id; pingues ad prædam invitat amicos
Leno, obſtetricum nec deeſt turba fidelis.
Virginia ut Patri raperetur, quanta paravit
Appius, & technis quantis fuit uſus? iniquo hoc
Tempore de matris gremio non tacta puella
Vellitur his prædonibus, & vix quæritur ultra.
Ædibus ipſa Bonæ ſervanda eſt, fama pererrat,
Sed Procus expectat, rapiens hanc, ut lupus agnam.
Hod. Ecquis te arcanum docuit Germane? Ego qui adſum,
Aut leviter perſenſi jactari aut nihil uſquam
Mutiri, quem ſcire decet, quem plurima refert.

21 Oh! quantum officiunt illi, qui ſub ſpecie Servitutis Dei decipiunt.

Deberet de Matre loqui vagiendo Puellus
Ant. Hoc natis Patre ex certo commune, ſed illic,
Eſt ubi pergrandis confuſio, rarior exit
Progenies; nam ſemper obeſt commixtio fætui.
Sin ſecus eveniat, carnis dum projicit offas,
Solvet abortivis fæcundam Julia vulvam,
Et ſi filiolus naſcatur, Junoque dextram
Lucina exhibeat, ſeptis de cratibus exit
Sarcina, & in trivio vulgaris ſiſtitur infans.
Verbenis forſan gradiens offendit opertum
De cætu hunc aliquis; Replet rumoribus urbem;
Eſſe opus auxilio, puerum reperiſſe jacentem,
Expoſitum canibus. Miſerum vigilate ſaluti,
Eunomiæ ancipitem quicunque aſſumitis enſem.
Quis contra hunc hiſcet? Pietas laudatur, & ipſum
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus,
Quæque nihil ſenſit thalami, cito mater habetur.
Res iſtud poſcat, vix primi lumina ſolis
Aſpexere, cadunt, & victima ſæva furoris
Sunt Prognes, nullo fœdati crimine; Pupi
Pars in fruſta ſecant, puteique trementia membra
Demerguntur aquis, tumulus vel fædior illis
Latrina eſt, foricis clauduntur & eluviebus.
Nec tu multa vides; namque eſt ſenſatio nulla,
Quum ſupra ſenſum recubant objecta mihique
Dum procul abſiſto, cernuntur, & omnia certis
Sipariis meditor, non luſus imagine falſâ.
Hod. O ſcenam obtectam larvis, & fæcibus atris!
Quando hæc tu veris removes aulæa theatris,
Aſpicio Orcheſtræ mimos, Helenamque latentem.
Improbus ut video, tali ſe tramite ducit,
Quo ferri renuant tenebroſi ſpectra barathri.
Nil igitur mirum, ſi creſcat turba Suburræ,
22 Patricioſque omnes Criſpinus provocet ille,

Quo

22 Alios aggreditur, qui malis artibus ad ſummos gradus aſcendunt inter quos enumerat Criſpinum, qui fuit jam tonſor, & Curculionem felicem indignis modis exaltatum.

Quo tondente gravis juveni tibi barba ſonabat!
Aut leno, aut palpo, vel ſit corruca neceſſe eſt,
Vel falſus teſtis, delator, ſcurra, Cinædus,
Qui putat extolli; vix artibus ullus honeſtis
Proficit, & potior gerûli vel natus habetur
Rhedari, quoties muſis comitatus Homerus
Reddi aliqua expoſcit longo emolumenta labori.
Docti excurſores, aliis qui crimina fingunt,
Docti cenſentur quotquot ſcurrile cachinno
Obliquant buccas: ſi quos infamia ſpurcat,
Augentur titulis, & ſumma ſtipendia portant.
Curculionis ego vidi quoties ſceleratam
Flagitiis vitam infandis, virtutibus orbam,
Ingemui ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
Eſſe hic ſi poſcis, tibi debet conciliator,
Aut nihil aſſequeris. Φά tempora! ſi tamen alter
Hoc minus erraſſet, caderet ſub judice morum.
Quiſnam impune abiit, ſi tantum corde putavit,
Uxoris Gallam retinere loco, meretricem
Ut ſibi, vicinis, populoque pararet, ad ædes
Dum fluerent, titulo inſcripto, miſerâque relictâ
Mox aliam paribus ſuper addere moribus, atque
Concubitu vetito retinere, ut publica peſtis
Urbem pollueret, daret & contagio labem?
Hic cruce ſuſpenſus, ſævi eſſet vulturis eſca,
Nec jam ſufficeret per terram atro trahere unco.
At numerus ſcelerum hoc anguſto limite clauſus
Si foret, exiguus dolor ipſe foret; numero omni,
Omni fine caret culparum, urbanus amicis
Graſſator, pariterque inimicis; hocque ſuperbit,
Lædere quod valeat, ſibi vecors & placet ipſe,
Ipſe gravis frontem duplicatam cornibus altam,
Pejus quam cervum referunt Actæona Graji.
Qui geminas Veneris deformes arte ſorores,
Qui gnatam vidit; multorum vivere quadrâ
Aſſuetus, jugulum premet, inſonteſque necabit,
Et gerris, & tricis peſſimus Archigeneſque

Peſſimus & Bavius, dignus Cenſore Catullo!
Bagoam ſileant vates, Paridemque, Tigellum,
Atque Tigellinum: diſcant eo obeſſe magiſtro;
Quare, ſi rurſus naſcatur Horatius, eſſet
Materies illi, riſu ut morderet acuto;
Perſius & calamum, ſtimulos agitaret Aquinas.
Ant. Si, Germane, iſtis aures bene præbeo dictis,
Peſſimus in partes non ſolum es Cauſidicorum,
Verum ut magnus equos Auruncæ flectis alumnus,
Hod. Quid faceres? cogor, mi frater, vera fateri.
Difficile eſt Satyram non ſcribere; me vitiiſque
Creſcere quo ſenior fio, cognoſco dietim.
Ant. At qui perſtrinxit torpentia lumina nondum,
Quæ ſatis eſt, labes, veſtros maculare Penates,
Cætera ſi deſint, Thuſciſque effundere nubem.
Eſt homo, qui ſimulans penitus diverſa, ſubinde
Addit Hypocrita nonulla, immiſcens ſua veris, [23]
Et zelo oſtenſo, famam corrumpere geſtit,
Quæ volat extremas melior diffuſa per auras.
Accerſit cælo mendacia; vulnera figit
Innocuis ſic alta viris, ſpargitque veneno,
Nec parmam potis eſt tiro prætendere, nec ſe
Virtus Palladio thorace tuetur & haſtâ.
Cum procul hinc abſit, ſanna qui tangitur atrâ,
Utque eſt vix aliquis, bene qui pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componat, fictaque veris
Secernat, ſenſim ſua fama minorque, minorque
Auditur, perit & tandem ſonus ille reſidit,
Qui totam rectus jam jam compleverat urbem.
Interpres ſi operi veniat cuicunque malignus,
Interpres verbis, virtus in proxima migrat
Paulatim vitia, & vulgus nil judicat æque.
Eſt humilis quiſquam, vappam vocat, aut nebulonem
Fit fortis præceps; conſtans temerarius; alter

Qui

23 Hypocritas aggreditur, qui ſpecie bonitatis culpant abſentes, eſtque eorum ſermo venenum aſpidum inſanabile, & nomina accommodant vitiorum virtutibus ipſis.

Qui pius, & prudens, ærumnarum emptor habetur,
Qui largá in ſocios diffundit munera dextra
Prodigus efficitur; parcit qui rebus, avarus:
Qui comis, vultuque incedit lævis & alis,
Scortatoris habet nomen, probrumque cinædi.
Qui mittit curas, & dulciter otia captat,
Ventroſum appellant, buccæ qui ſervit obeſus.
Eſt Anachoreta alter, qui ſeſe ædibus abdit:
Denique ſi latitat quiſquam, pluteoſque librorum
Diligit, evigilanſque lucernâ eſt nocte Cleanthis,
Eſſe duobus opus vox ſpargitur Anticyris, &
Helleboro properant non ſanam tergere mentem.
Hinc Nero deceptus ſubitas prius exit in iras, [24]
Et Patribus pœnam ſtatuit, pereuntque Solones,
Quam cauſas iræ expendat, trutinetque libenter,
O Regum bonitas homicida! probuſque nocenter
Hyrcane! ecquo non ducit tua credula mentis [*]
Simplicitas, alioſque expendens regula recti?
Hod. Anne vides noſtros ſatagis dum carpere Reges,
Priſcorum tumulos vexando, inquirere in umbras?
Hoc Momis ſemper blaterandi ſtat cacoëthes,
Quæ fuerant quoties commendant ſæcla referre
Sopitos ſenſus Saturni ætate, Joviſque
Nondum barbati, in noſtros baccharier annos.
Antiquum & vetus eſt vitium, quodcunque moratur
In terris, ut noſti ſcribere Lancillottum.
Κόσμος ἄκοσμος erit, dum eſca inteſtina fatiget. [25]
Ant. Sponte manum exhibeo. Monſtrum hoc ſed ra-
rius olim,

24 Hac arte ſæpius Nero fuit deceptus, ideoque Neronis nomen accommodat illis Principibus, qui tali fraude impelluntur.

* De hoc Hircano meminit Joſephus Hiſtoricus, qui vocat eum Hominem bonum, at Regem peſſimum, ſua enim probitate civitati officiebat. Videatur etiam Politicus Infelix Patris Cauſini.

25 Κόσμος ἄκοσμος idem mundus immundus, notat autem dictum eruditiſſimi Patris Lancillotti Peruſini, qui probare nititur, mundum ſemper iiſdem fœdatum vitiis, ornatum virtutibus fuiſſe.

Nunc præceps ruit, exitiumque parat vitioſis
Niſibus; omne caput ſpecie virtutis obumbrat,
Ut fallat, mores vultuque, & veſte ſeverus
Clodius incedit, frugi laudatur Aſylus,
Et quod deterius fætet, nareſque Deorum
Avertit, poſtquam linguæ latrando fatiſcunt,
Cum ſiluere canes, ſupereſſe loquela videtur. [26]
Namque typis cudunt deteſtandum monumentum,
Et cujus prohibere nefas pars juſta fuiſſet,
Negligit, aut nil eſſe putat, veniamque paravit.
Nota loquor; Jovio talis vox excidit, & quis
Poſt annos poterit mendacia noſcere centum,
Quæ noſtri claudunt annales, teſtis & eſſe?
Atqui norat homo doctrina inſignis, orexim
Quam faciat turbarum mendax Hiſtoria, inde
Forſan Gregorii Viſcontis feſta quotannis
Non eſt certa dies nuribus celebranda Latinis.
At de præteritis cur jam ſermone queramur?
Quid de illo dices viventibus impoſtore?
Excuſantur enim ſua facta, & parcitur ipſi.
Parcitur? heu mores! Quæ ſcripſit ſede curuli
Damnanda, & blatero religandus jure fuiſſet
Ægypti extremis, Juvenalis uti meus, oris,
Aut brevibus Gyaris, aut Ponti ad inhoſpita teſqua [27],
Naſonis mittendus erat comes; impia charta
Carnificis conſciſſa manu, execrante Senatu,
Infelicibus ex lignis urenda ſub igne,
Et ſoboles merito ſcalis perdenda Gemonis.
Uſque fateretur tandem formidine pœnæ
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

Hic

26 Reprehendit illos, qui permittunt mandari typis, quæ obſunt alicujus famæ, & præſertim dum falſa immiſcent hiſtoriis, quo vitio Jovius ipſo convincitur à Campano in vita B. Gregorii Vicecomitis Placentini, cujus corpus Aretii aſſervatur.

27 Queritur de Auctore libelli famoſi adverſus Antonium Malliabechium, virum integerrimæ vitæ, & quem laudare digne non poſſem

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum Ferrea vox.

Quod tribuitur factum inſtigatione, & invidia Curculionis.

Hic tamen exultat, ſceleratâ & fallere vitâ
Pollet, honorificis auctus titulisque per aulam
Errat, &, immeritæ quamvis furetur ab annis
Jamjam tot cathedræ ſtipendia; creſcit in illis
Et recipit noſtris ablatum altaribus hircum.
Sic Corvos laudat vexans Cenſura columbas,
Et qui progreditur Gallinæ filius albæ,
Naturæ, cæloque poteſt peccare rebellis.
Quod mihi ſi cunctas labes aperire vacaret
Inviſi Divis capitis, temone retorto
Sol fugeret cum lunâ è noſtra continuo urbe.
Quare inter tenebras noctis tegeretur obortæ,
Thebarumque modo tragicis Oenotria tellus
Argumentum urgens poſſet præbere cothurnis.
Verum operæ pretium noſſe eſt, quæ triſtis Enyo,
Tiſiphone quænam calamum porrexit hiulcum,
Quem contra ſpumas demiſit Cerberus ore.
Muſarum comitum petiit ſævus Coryphæum,
Numen virtutis læſit, cui Palladis arbos
Plus quam thyrſigeri vitis pro munere Bacchi
Grata eſt, quem Phœbi novit domus utraque, novit
Si qua manet Solis tellus non viſa quadrigis,
Ingeniumque viro majus veneratur, & orat;
Cui delubra, & danda forent altaria, tanquam
Vivat Amicitiæ ſimulacrum; denique ab omni
Culpa qui declinat, abhorrens ſponte reatum,
[28]. Aut mage quam Ciaccus jejunia, vel Damaſippus, [29].
Aut fieri frondens æternum palus oliva.
Hod. An credis fore, qui aures det Curculioni?
Qui luſus ſpectet ſcævos, chartaſque cacatas? [30].

Certa

28 Ciaccus eſt nomen cujuſdam apud Dantem, qui ingluviei vitio damnatus fuit apud inferos quare dixit
Voi altri là mi chiamavate Ciacco
Per lo sfrenato vizio della gola;
Onde quì fuori alla pioggia mi fiacco:

29 Damaſippus eſt helluo apud Juvenalem.

30 Cacatas chartas. Sic Catullus
Annales Voluſi, cacata charta
Infelicibus uſtulanda lignis.

Certa eſt tonſori & lippis petulantia frontis.
Ant. Explodent Curii fallacem, at qui neque fumum
Aſpexere hominis pretii nullius, ut eſt mos,
Quum clarum reſonare virum poſt funera virtus
Efficiet, mundique feret mirantis in orbem,
In dubium forſan revocabit murmure falſo
Impoſtor meriti ſummam: quo fiat, Ephebus,
Dum ſtudio eſt aliis intentus, quærere mittat,
Atque fidem ſcriptis accommodet, & ſimulantis;
Sic peregrina venit quicunque ad littora, quod dant
Vel Pueri nomen civi, tali incipit uti.
Et quamvis linguæ centum ſint, oraque centum
In laudes pronæ, natura ad peſſima vergit,
Exultans, nova commentaria ſe reperiſſe.
Hod. Temporis antiqui dulcedo cernitur in te!
Sed diſcas, foliis vendentes thura, ſiluros,
Aut piper uſuros. Naſum juveneſque ſeneſque
Rhinocerotis habent, nec clauſis Andabatarum
More oculis pugnant. Norunt quæ carmina Cycni;
Quæ fundant Ranæ. Linguas ergo, & pudet aures
His involvi ſub nebulis, Helicone relicto. [31]
Quod ſi vera perit laus; advenientibus annis;
Sparſa, diu vivent, hæc nugamenta veneno?

31 Nebulas Heliconis eſt Perſii, ut ſuperiora ſunt Juvenalis, & Horatii, Martialis.

EX-

EXCELLENTISSIME DOMINE VIR DOCTISSIME.

Etsi *Illuſtriſſimi & Clariſſimi Viri* Antonii Malliabechii *literis certior non fierem de inſita humanitate, deque rerum omnium ac artium multiplici cognitione, qua ipſe polles, hoc mihi perſpicuum facerent ea opuſcula, quæ mandata typis à te, omnium plauſu excipiuntur. Quare cum mihi in animo ſit aliquid Latini carminis emittere, & multa poſthac, volui tertiam Satyram de ineptiis hominum in teſtamentis tuo nomini nuncupare, ut in meis partem habeas; ideoque tua interſit aperire quid ſentias de hoc genere ſcriptionis eo candore quo utuntur homines docti, ex quibus Quintilius unus dicebat, Corrige ſodes. Simul rogo, ut parvo hoc munere reſpicias maximum amorem, quo te abſentem colo, & quouſque vivam, omni tempore venerabor, tanquam literarum ornamentum non exiguum. Vale.*

Do-

Doctiſſimo & Excellentiſſimo Viro

BERNARDINVS RAMAZZINVS.

S. P. D.

S*ATYRAM tuam per* D. Malliabequium *ad me tranſmiſſam jam diu legi, ſed tunc temporis occupatiſſimus ob nimiam ſcilicet ægrorum copiam, qui toto hoc anno Medicos exercuerunt. Illam itaque ſepoſui, donec otium nactus eſſem, ut illam attentius perpenderem; hanc reverentiam enim ſcriptis tuis deberi credidi, ut non niſi vacuo animo illa perlegerem. Hanc tuam Satyram igitur reſumens, illam attentè, ac ſumma voluptate pluries legi, nec quicquam obſervavi, quod verum Satyrarum ſcriptorem non deceat, adeo preſſo, ac nervoſo dicendi genere hominum ineptias in condendis Teſtamentis palam facis, ac ſugillas, ut nihil aptius. Nullus ergo dubito, quin ſapientiorum palato maxime arridere debeat, & eum applauſum ſit habitura, quem meretur, apud exteros præſertim, ubi vera literatura colitur, quando Latini carminis decor alio migravit. Recte factum exiſtimo, quod aliquibus in locis obſcurioribus animi tui notas expoſueris. Hæc ſunt animi mei ſinceriſſima ſenſa, neque me tranſverſum agit affectus, quo te proſequor; noſti enim, quam libere jus, quod mihi dederas, exercuerim. Cæterum quod innuis, te eandem Satyram Hetruſcè loquentem miſſurum, id mihi erit acceptiſſimum. Vale Vir Doctiſſime, ac favere perge, tua elegantiſſima carmina ſæpius mittendo. Mutinæ Calendis Octobris* 1693.

DE

DE
Ineptiis Hominum in Teſtamentis.
SATYRA TERTIA.
AD EXCELLENTISSIMUM
D. BERNARDINUM RAMAZZINUM
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ, &c
Archiatrum, Virum Clariſſimum.

De rebus quid ego diſponam, ut in acta feratur
Publica per ſcribam ſepteno teſte rogatum,
Sit curæ, hortaris, ne non teſtatus abire
Imprudens cogar, ſine planctu & funera cernam;
Ac ſi jam factus vivam novus Attalus, aut ſim
Sanguine ab Aſſaraco deſcendens Teucer & Ilus. [1].
Pauper ego, pauper genitor, pauperrima avorum
Semper cenſa domus; fuit omnibus unus honeſti
Semper amor, vitare nefas, maculiſque cavere.
Quintillus Glyceræ ſudet, qui proximus hæres [2].
Vult ſcribi; ut noctes ſibi teſtamenta lucrentur.
Fortunâ ſolum contentus de mediocri,
Pluris dimidio poſſem quod vendere, nunquam
Servavi, vel plus nimio rogitando moleſtus
Diſplicui procerum menſis; alter paraſitus [3].

Jeju-

ADNOTATIONES.

1. Aſſaraca Domus fuit illa Priami. Hinc fuere oriundi Teucer, & Ilus, & ſumitur pro omni familia nobiliſſima. Quare ſolemus dicere Hetruſce *Non ſono di Caſa d'Auſtria, ne di Caſa Borbone.*

2. Quintillus Glyceræ. Sumitur hic pro quocunque filio meretricis, qui malis artibus quærat hæreditates: atque utinam non eſſent, qui Matres ea qua poſſunt libidine imitantur.

3. Sunt quidam, qui Hetruſcè dicuntur Pirocchi, qui ſemper rogando diſplicent, ut fuit Galba notus apud Juvenalem.

Jejunus Galba, ac Trebius monſtrarier aula
Clitella irriſus, graviore aut pondere preſſus
Abſtinui, cupiens caſtuſque probuſque videri,
Et ſervare decus, dum nitor Curculionis,
Et plus illius quam vellet, conſulo famæ, [4].
Inviſum dignumque odio ſcripſere Vatini.
Quid fuit omiſſum teli? Quibus artibus uſi
In caput hoc miſerum? Quoties ſtuduere ſceleſti
Criminibus terrere novis, & ſpargere voces
In vulgum ambiguas? Jacuiſſem denique merſus,
Juppiter omnipotens niſi me ſervaſſet ab undis.
Quid prodeſt igitur tabulas cum conſule ſignis
Sculpere, ſi ſcriptis nihil eſt hæredibus aptum?
Faſcina divitiis, valida & præſtigia non eſt [5].
Condendi campus, male nota pluribus arte.
Quiſque ſtudet diti. Febris ſentire calorem
Si cæpit locuples [6] Gallita, aut Pacius orbi,
Porticus à Novio fixis eſt tecta tabellis,
Et nubes fumo conſurgunt thure cremato.
Ob lucrum quâvis captatur gratia fraude,
Et quovis pretio. Forma eſt ſpectabilis uxor,
Iphigenia, viro plenis quæ adoleverit annis, [7].

Vel

4. Curculio, quoniam ſæpe hoc nomine utimur, eſt deſumptus à Comœdia Plauti, & à natura Curculionis noxii frumentis, & qui non ſolum aliena comedit, ſed corrumpit. Sumitur pro homine pravæ naturæ, & infenſo humano generi inſtar Timonis, omnique vitio præſertim ingrati animi inquinato, amico tamen Verribus latronibus in Magiſtratu; Codris malis Poëtis, & dolonibus falſis, & deceptoribus ob ſimilitudinem morum. Cur potius hoc nomine, quam alio utar, non eſt hic neceſſe explicare; cum tam hoc quam alio poſſem uti ad arbitrium.

5. Faſcina amatoria parantur aliis venenis, ſed faſcina captatoria pendent ex divitiis, quæ alliciunt hæredipetas.

6. Gallita, Pacius, & Novius ſunt noti apud Juvenalem. His utimur pro aliis, qui hoc tempore orborum Patrum petunt hæreditatem fraude mala, & quolibet lenocinio.

7. Iphigenia fuit filia Agamemnonis, & ſumitur ab ipſo Juvenale pro Virgine, quæ matura viro plenis adoleverit annis, & forma ſit ſpectabilis, ut erat Iphigenia, de quâ duplex Tragœdia in Aulide, & in Tauris.

Vel datur invito, ſpumis ſpurcanda ſalivæ.
Hiſcens cella mihi, raucique ſimillima Codri,
Digna Iro antiquo, triſti metuenda Melampo.
Conſpicua eſt illic, quæ ſervat ciſta libellos,
Parva arca, haud mollis lectus lodice nigella
Et quem pluma parat vulgaris, & undique ſumpta
Tritica qui comedit, campis quando herba vireſcit
Utque fami occurrat, proventus vendit acerbos,
Committat, quid opus, fidei bona, quidve relinquat?
Quicunque inteſtatus abit, Creperejus habetur.
Quæ fuerit mihi vita prius; quæ ſit, patet ante,
Et quando impoſiti cymbâ jam Porthmea clavo
Cernimus affixum, quis terræ rebus inhæret?
Et forſan ſit, nulla illos injuria tangat,
Re bene proſpecta, mente & per ſingula verſa,
In fronte apponunt hæredes qui tabularum?
Vidi aliquos toto laudandos tramite vitæ,
Impletis ceris Margitis ſtultitiâ ipſis
Monſtrantes plenos ſeſe magis, & magis Oſcos.
Additur & crimen purgandum ſulphure, & igne;
Si quid fellis habent, jaculum ſi torſit Amoris,
Oſtendunt; iræ apparent, & gaudia, ſenſus
Invidiæ officiunt, deſpumant corde ſuperbo
Mortales bullæ; leges quoque ſanguinis errant,
Leges naturæ. Gnatorum ſæpe parentes
Obliti, non ſcribunt nomina teſtamentis,
Præteritoſque Titos Cajus, vel Pegaſus audit, 8
Dum complectentes ſubſellia jure queruntur.
Obtegitur vitium ſub larva; Tireſiarum
Luminibus cæcorum etiam ſed torta voluntas
Occurrit, deque illa vel legata loquuntur.
Virginibus quoties aptantur munere dotis
Æris & argenti ſummæ, aut tradendus agellus,
Scribitur hoc probrum; Veniam ſic ſordibus oro;
Sic peto criminibus; ſic juſta piacula morte

C Im-

8. Cajus, & Pegaſus ſunt nomina Jureconſultorum, qui defendunt Pueros Titos querela inofficioſi teſtamenti.

Impono : At clamant fratres, iterantque nepotes,
Differri in ſeram ſudaria matribus horam;
Agnoſcique notham prolem, agnatoſque gravari.
An foret hoc melius, ſi clam, ſi teſtibus ipſis
Dis ſolum fieret, quod jus, quod poſtulat æquum:
Sed Pater ipſe cupit, digito qui pignus amoris
Nullius ante dedit, contempta uxore videri,
Sit reliquæ ut ſimilis poſtremo culmine vita.
Cenſores morum, pietas quibus alta domuſque
Chryſippi & Socratis gypſo plenæ, quibus una
Relligio eſt cordi; Papo, & Marco meliores, [9]
Cur impune licet ſcelus hoc? cur & monumentis,
Cur chartis manſuris ære perennius, atque
Publicitus vivis maculatur fama, decuſque,
Elatis jam corporibus? Parce ira ſepultis:
Deterius Nero quid poſſet, quid Sulla jubere?
Diviſum imperium ſi vobis cum Jove Reges,
Hoc arcete nefas. Non jam ſcribatur apertis
In libris, cupiens luſtrari crimine moechi
Urſidius, gnatæ dotem componere anhelat. [10]
Jure quidem dixit deriſor Lucius alti
Ætheris, atque hominum fuerant quæ in pectore corda
Teſtamenta docent, mentiſque arcana loquuntur.
Et ſi unus ſapere oſtendit, de millibus unus
Se ſapere oſtendit; reliquos dementia ſignat.
Hac tamen eſt quæ dicta tenus gens, ferre tributum
Viſa eſt juſtitiæ, agnoſcens vel funere prolem;
At propiorem illis hominis poſuiſſe figuram [11]

Qui

9. Papo, & Marcus apud Juvenalem. Sumuntur pro Cenſoribus, ad quos attineret corripere Teſtamenta eorum, qui legatis ſuis infamant legatarios.

10. Urſidius pro notiſſimo adultero ponitur apud Juvenalem Sat. VI. hic ponitur quando ſatis animæ ſuæ facere cupit, in Teſtamento pro dote filiæ putat aliqua portione relicta, quod vix eſt ferendum bonis moribus.

11. Senſus eſt. Vere non mereri titulum hominis illos, qui putant eſſe vocandos homines eos, de quibus poſt enumeratos in N°. 5. dicendum eſt; & ſunt qui poſt mortem ſuam inſtituunt hæredes catamitos exoletos; hinc nota eſt hiſtoria Patritii Pueri, & fœmi-

Qui negat, hic hominum à numero eſt removendus.
Pluribus ingenium vitio corumpitur, ut jam
Peccaſſe oblectet. Signet ſibi Virro nepotes
Paſſerulos olim, Narciſſos, & Ganymedes; [12]
Maſcula nam placuit Veneris florente juventâ
Mixtio vel forſan pejus venientibus annis,
Et quod non faſſus ſævo quatiente flagellum
Tunc tortore foret, ſignis aperire ſupremis
Non pudet. Inde poteſt Patrici mantica, quod non
Nobilis effecit cunnus. Diſcrimen habetur.
Progenie ex noſtrâ fraterna expungitur hæres [13]
Filia; Partis habet nil frater, nil domus ipſa;
Unus Ephæſtion ſucceſſor Alexandro fit:
Agnatos, nomenque fugit, ſobolique ſuorum
Eſt adeo infenſus, renovare inſignia priſca
Ut ſatagat, Grandis dederat quæ Scaliger olim;
Et geſtare ſuos Aquilas cum ſidere mandet.
Tum quoties videat nova Gens, ut cætera, finem;
Æternum, ſacrumque vocat penetrale, nec unquam
Vult memori ex Albo diſpungi Nomina NOMI.
Nam quicunque bonis potiatur in æde ſacerdos,
Aſſumat cognomen opus, dicatur ab illo
Et proprium deponat. Quiſquam haud diſplicet ex hoc,
Principis arbitrium quem diligat; abdicat unos
Ex Nome exortos, quondam quibus ara focique
Communes fuerant. Major quando extitit oſor?
Ipſa Dido hunc docuit poſt cymbam ferre Charontis [14]
Vindictæ ſtimulos, torvas & pectoris iras.

C 2 Nunc

fœminæ Nobilis; ille enim impetravit à potentiſſimo viro, quod iſta ejus libidini ſerviens non potuit.

12. Virro eſt Juvenalis Sat. v. pro nobili viro, & ſæpe nobiles iſti viri inſcribunt hæredes filios ex adulterio natos, aut paſſerulos ſuos. Vide hoc apud Juvenalem.

13. Quidam ex Nomia gente filiæ fratris, fratriſque oblitus in teſtamento non modo fuit; ſed & inſignia Scalæ, quam Nomes à Magno Cane Scaligero acceperat, reliquit, & in hæreditatem ſuam omnes admiſit præter antiquos Nomios, quibus vel Canes antepoſuit.

14. Factum Didonis averſantis poſt mortem Æneam eſt apud Virgilium in VI Æneidos.

Nunc Cajus vigilet, nunc ſudet Tribonianus;
Quid juris proprium præfert Agnatio, quærant;
Ut ſe ſejungat, divortia repperit iſte,
Nullis nota prius Timoni Anthropophagiſque. [15]
Si vivunt Stygio nigræ ſub gurgite Ranæ,
Ranuleis adeo crudeles tartara ferrent?
Dices, inſultat capiti dementia ſolum,
Quod ſapuit. Credo. Hinc mihi tecum quæſtio nulla
Sit, quantum valeas monuerunt Curculiones.
Subditur at noſtris talis ſententia verbis,
De vitiis animi quòd teſtamenta loquuntur.
Nam, vigilans quæ vidit mens ſimulacra, ſopitis
Senſibus occurrunt ſi eadem, ſi reſtat imago,
Idolumque per aëra, quod phantaſmata ludit;
Ravola credetur, moriturus jam ſpoliaſſe
Affectu genium, qui vita manſit in omni?
Nequicquam. Quamcunque viam florentibus annis
Ingrederis, placet hæc eadem, dum lumina claudis.
Ergo Canem exhibuit qui ſe prenſantibus, eſcam
Legavit canibus diſcedens, utque maneret
Cura Canum ſemper mage ſedula progeniei,
Quemlibet illorum tolli & nutririer, uſque
Quo tota interitu ſoboles conſumpta periret.
Tum vero quincuncem ex aſſe amitteret hæres,
Quod monachi acquirant, numerum quoque nutrituri
Parte Canum acceptâ, defuncti hominis monumentum.
Sic Veſtæ æternus ſervatur in ædibus ignis,
Virginibuſque nefas, ſi quando extinguitur, & ſic
Memphites reparat lacrumis comitatus Anubin.
Denique primævum vitii ſervabit odorem
Teſta diu, & referent vaſis fragmenta cadentis. [16]

Ædi-

15. De Timone loquitur bene Lucianus in Dialogo, de Anthropophagis Homerus in Odyſſea.

16. Dicimus unumquemque uſque ad mortem vitia juventutis retinere, ſeu ſit ædificandi ſeu paſcendi ventrem, ſeu jactandi antiquam nobilitatem, ut notatur quidam τήγαμοι, ſatis hoc Græco nomine notus; ſeu patrimonium ludo prodigendi, ſeu haſtiludium, vel choræas celebrandi &c.

Ædificator erit Centronius, & Damaſippus
In vini pateris animam profundet olentem.
Τήγανον, aut Clibanus, cupiens, quam non habet, in ſe
Oſtentare fabam, findetur conche tumeſcens.
Mancinus, ſarcire putans patrimonia, ludo
Dilapidata, iterum ludit, nec teſſera abibit,
Nec folia emittet, nec talum, quin moriatur.
Intorquere juvat ſi quos aut eminus haſtas,
Aut jaculum nervis aptare, aut gratia currus
Eſt cordi, exercere levi ſeu membra palæſtra;
Aut diſci ludo, aut fulva luctari in arena,
Plaudere vel pedibus choreas, vel diligere arma;
Nec ſtudia hæc Cocyti amplectens deſeret oras,
Et teſtamento belli ſimulacra quotannis [17]
Præmia diſponet celebrantibus, aut agitari
Indomitos magno cupiet diſcrimine tauros.
Quid vero de illis dicendum, qui bona primò
Dant natis, alioſque jubent, aut Martia fratres
Bella ſequi, aut miſeros domibus ſordeſcere nudis?
Quilibet ingenium, quod ſi monſtraret acutum,
His vere nugis Capito quæ ſumma patravit [18]
Virgineæ Caſulæ præfigens nomen Equeſtre?
Quid magni effecit? potuit quas addere pennas
Famæ? ſe forſan de Tharſis Regibus ortum
Monſtravit populo? Sibi nil obtrudere palpum;
Ramazzine, juvat. Sic ſumma ſuperbia mentis;
Sic cordis livor micuit, bene Μισάνθρωπον
Se docuit. Quidnam cacodæmonis irruit, ut vir
Juris conſultus contraria ſentiat his, quæ
Vera putant homines, contemptor juris, & æqui?

 Fit

17. Ceſenæ eſt inſtitutum, ut quotannis celebretur die Jovis ante Cineres belli ſimulachrum, & eſt præmium appoſitum non contemnendum iis, qui haſtis concurrunt obequitantes; quod averſati nobiles viri, jam plebeis reliquerunt.

18. Iſte Capito, alioqui vir doctus, ineptivit in teſtamento ambitionis gratia, ſuos excluſit, & ex inſtitutis nullum invenit hæredem. Cætera ſunt enarrata, ut geſta fuere, ideoque credatur folium me recitare Sibyllæ.

Fit ſimilis cuidam, qui ſcripſit Ephemeridas, &
Unus in eximiis cenſeri ut poſſet, ubique
Hoc ſtuduit tantum, differret ut omnibus unus;
Et noſter vitio haud expers Academicus ille, [19]
Qui pleno nova fictaque nuper habebat in ore
Verba, ſibi ut quæcunque Ciconia ſurgeret alte,
Plauderet ac ſtolido capiti cenſura cachinno.
Quiſquis non atheos vivat, dictamina ſaltem
Naturæ ſequitur, mœretque fuiſſe rebellem
Legibus ingenitis. Igitur cui viſcera fervent
Archilochi felle, aut cui ſpumat in ore venenum;
Thracibus eſt pejor, Mauruſis atque Gelonis
Vir Romæ natus, doctis nutritus Athenis.
Pacató an credas, ſubiturum morte tribunal
Minois, qui judicio jam proximus acri,
Non reddi famulis mercedem præcipit ullam?
Dicere vel ſatis eſt; quamvis Epicheja procul ſit,
Me tamen Aſtrææ gladius, me dextra tuetur? [20]
Occulitur diſcors animi petulantia duri.
Parco, ut qui dicunt; ſed Juſtitiam volo ſontes
Plectere. Si aſſiſtit plebs garrula ſymmyſtarum,
Dò, donoque libens iſtos; habeat ſibi, qui vult.
Cogere ſoliplos, ut nunquam litibus abſint
A cœptis, aut hæredes nequeant vocitari,
Eſt fortaſſe animi ſuprema in ſede locandi?
Miltiadem vinclis indignó carcere ſeptum, [21]
Poſt ubi præſtantem fecit Marathona triumphis,
Patria vicinum morti nil flexa tenebat:
Filius huic aderat vas pœnæ, hæreſque futurus,

Et

19. Quidam Academicus Florentinus, non tamen ex Cruſca, quæ prudentiſſima ut nobiliſſima eſt, putabat ſe laudabiliter, mireque dixiſſe, cum noviter, & inuſitate dixiſſet vocabulorum inventor.

20. Non puto reperiri in ore Chriſtianorum verbum abſurdius iſto. Parco, ſed tamen puniri volo inimicum. Melius eſſet facere hoc, ſed tamen Juſtitia non condemnat contrariam ſententiam, quaſi in his quæ ſpectant ad ſalutem, dubiæ opiniones eſſent amplectendæ.

21 Hiſtoria hæc Miltiadis nota eſt apud Plutarchum, & alios, & hoc eſt exemplum luculentum boni civis.

Et tamen extremas has fudit pectore voces.
Ultio nulla tibi teneat præcordia, ſed tu
Exornes titulis veſtigia noſtra ſequutus;
Et Plato cum reliquis, habet unde Academia nomen,
Eſſe Patrem primum Patriam dixere. Quid ergo
Ut Patriam oppugnet, quamvis non agmina ducat,
Deeſt? Curio quis pejor, pejorque Eriphyle?
Reſpice nunc Capitonis opus: Placet advena, ſpernit
Ipſe ſuos; negat eſſe ſuos, negat eſſe cibandos
Redditibus, dederunt quæcunque novalia campis.
Scriptus & à tergo factorum ſi liber eſſet,
Et bona per claſſes nimium collecta ſcaterent;
Hoc ſatis eſt, penitus deformet ut omnia recta,
Auctoremque trahat ſceleratum inſiſtere limen
Et fama increbuit, cum primum membra reliquit
Spiritus, infenſo concuſſa à turbine circum
Arva forent, fremeretque nemus, valleſque cubarent.
Et mihi, qui lapides ſignatos quattuor abſum,
Teſta fuit, parvum quæ ornabat penſilis hortum,
Rapta, nec oſtendit ſaltem vicinia fragmen.
Inſuper & mediam morum ſervata per octo
Quæ fuerat luſtra, effregit, patuluſque minatur
Truncus adhuc miſeri ſpoliatus crinis honore.
Ruſtica tum ſubitis increvit turba querelis,
Execrata malos lemures, furiaſque nocentes;
Sic ventos nocuiſſe ſuis nam viribus unquam
Non valet Æolio demiſſus carcere, celſas
Aut deferre nuces vulſas radicibus, altam
Oſtentare comam aſſuetas, longoſque per annos
Concertare notis, validiſque aquilonibus ornos.
Sufficient rubicunda ergo hunc arceſſere ſigna,
Quæ voluit geſtare Equites ſexus muliebris,
Ut procul à Stygiis reſipiſcat legifer undis?
Denique ſi in tanto cenſebat corpore quiſquam,
Mica ſalis quod clauſa foret, quam cerneret ipſe
Falſum, ex hoc patuit, ceris quod ſcripſit iniquis.
Quicunque agnatis rem detrahit, ut locupletes

Externos faciat, naturæ injurius almæ,
Et cælo, & civi exiſtit; Pia jura potenter
Protecta offendit, Bona tot quæ ambagibus omni
Præſidiiſque parant Agnato priſca tueri.
Ergo præoptandum, vario quod ſparſa colore
Vulpis edat fata læta, procul ſæpe auferat inde,
Et noſtris gaudens ſudoribus ilia tendat,
Dum qui procedunt ex noſtro margine, egentes
E quadra vivant aliena, de ſtipe paſti,
Oſtia quam præbent merito ſua jure futura?
Vertice qui abſciſſo ſingultant ſanguine trunci
Indecores minus abſcedunt; qui pontibus altis
Se in flumen dant præcipites, fœdiſque latrinis
Occumbunt: his una ſatis mors, nec monumenta
Sunt reliqua infamis caſus. Dum gloria cordi eſt
Huic ſupra nimium, Phaëthontis more dat anſam,
Rideat inſani ut capitis Parnaſſia pubes
Detrimenta, ſuis recitet venientibus annis
Hiſtoria in libris. Olor inde Padi fuit auſus 22
Scribere, quod ſtulti ſacris diffundere omentis
Jura ſolent, vanuſque liquor prolabitur aulis.
Hos tamen excedit quiſquis, patrimonia demens 23
Largitur Procerum ſummis, vel Regibus ipſis;
Tunc quod habent ignis nigra tartara, quod picis atræ,
Foetens Cocytus debetur & omne bitumen,
Quod Tityi depaſcat avis jecur, irrequieto
Quod ferat orbe Rota, & ſitiat quod Tantalus undis.
Gratus apud nullos, odium ſibi comparat; ipſi,

Quem

22. Olor Padi eſt Ludovicus Ariuſtus, & verba, quæ tanguntur, ſunt

Diverſate Mineſtre una gran Maſſa
Vede, o dimanda al ſuo Dottor, che importe?
La Caritade, ei, queſta è che ſi laſſa
Alcun, che fatta ſia dopo la Morte.

23. Fuere antiquis temporibus, nec deſunt modo ſtulti homines, qui parva Patrimonia relinquunt nomine hæreditatis divitibus, & titulis etiam Regiis qui ſunt inſignitis. Novi quoſdam, ideoque veluti dementiſſimos rideo, adeſtque vulgaris parœmia

Quando il povero dà al ricco,
Il Diavol ſe ne ride.

Quem vocat hæredem, non charus; nam ſtomachatur
Grande ſupercilium Plebei: ſtat quoque cautum,
Si memini, in lege, ut nemo, quem cenſus Equeſtris
Deficit, hæredem faciat ſibi Juſtinianum.
Ærari cuſtos, annonæ quiſque miniſter,
Surripuiſſe prius rem vulgò creditur, inde
Reddere eam, extremo dum claudit lumina ſomno.
Sin vivat, ſibi donans ipſe ſtipendia poſcit.
Abnuit haud fortaſſe hoc lucri Veſpaſianus,
Qui nil ponendum ajebat diſcriminis inter
[24] Unguenta & corium. Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet eveniat. Vitium quod mentis avaræ
Se extulit, atque ideo factus de ſtercore Conſul
Illius in faſtis natum denominat annum.
Hoc didicere urbes, eſt quarum Regia terris, [25]
Et porrecta mari, pretio quas nobilitatem
Vendere Mars docuit. Fiat mercede ſenator;
Virtus, Fama, Decus, Divina, Humanaque pulchris
Divitiis parent, calamus perſcripſit Horati.
Ergo palimpſeſtos repetamus. Quis meditetur,
Viribus ingenii deſudet, conſulat omnes
Cauſidicos; opus eſt Delphis, oracula quærat. [26]
Vir pietate gravis, Martinus mente verendus
Binas aut ternas nupturis ſi dare dotes
Hæredes jubeat commiſſo ex ære quotannis;
Procedunt bene cuncta prius, ſed germine ab illo
Mox quidam venient, muliebri ut Clodius eſſet [27]

24. Lucri bonus odor ex quacunque re eſt Juvenalis ſententia, & tribuitur Imperatori Veſpaſiano., qui avarus iccirco habitus fuit.

25. Quamvis putem prudentiſſimè actum ab urbe domina, quæ nobilitatem tribuit donantibus reipublicæ ducenta millia, & in hoc illa delectum habeat, merita reſpiciens, nihilominus ſi hoc fieret indiſtinctè, fidem acquireret illud Horatianum *Virtus, fama, decus &c.*

26. Tangimus illos hæredes, qui teſtatorum non bene adimplent pias mentes, vertuntque in vitium, quod virtutis gratia diſpoſuerunt in ſupremis tabulis Martini, & Pauli, quæ ſunt nomina tali de cauſa in Hetruria nota.

27. Clodius, ſatis notus eſt, qui

Veſte Pudicitiæ dicendus jam ſimulacrum
Illis compoſitus; quibus & penetralia Veſtæ,
Templa Bonæ, & Cybeles non ſunt intacta, fugit mus
Unde, ſibi qui teſticuli ſit conſcius, atque
Alterius ſexus velant aulæa figuram;
Intactas ſponſis tradent cum dote puellas,
Hi quorum timeat ſoror oſcula, filia, neptis?
Pharmaca ſic obſunt, fiuntque venena, nec illis
Deguſtaſſe ſatis ſemel. Hæc contagio labem
Dat, moreſque trahit furtis aſſueta Diones.
Si Bibulæ ſervare thorum, fulcrumque pudicum [28]
Mens eſt, conteritur fruſtra majoribus annis
Circuitus, fruſtraque preces lacrumæque teruntur.
Sunt modo rure ſues deducendæ, modo tempus
Inſtat, quo domibus reddatur penſio, vel quo
Venales fruges, vinumque, oleumque locentur.
Hinc prius apta viro proles adolevit oborta,
Quàm, thalami quod onus ſuſtentat, mater haberet.
Dona laboratæ Cereris, dulciſque Lyæi
Diſtribui Paulus juſſit vice dotis egeno,
Adveniente die, domui quæ feſta relicta eſt,
Et tener, & niveus, molliquc ſiligine factus
Principio panis datur omni, quem Peruſini
Vix piſtoris habet deductum clibanus ori, [29]
Quorum cum pugnavit avis Auguſtus acerbè,
Unde habet urbs faſtum, claret manicæque tropæo.
Tum

qui ſumpta veſte muliebri ſepta deæ Bonæ vitiaſſe fertur uxorem Cæſaris. De hoc Juvenalis, & Cicero, aliique multi.

28. Bibula eſt perſona deſumpta à Juvenale: Sed novi aliquas, quæ nunquam dotes aſſecutæ fuere ſibi debitas teſtamentorum legatis, quia corporis honeſti copiam negaverunt facere ſceleratis hæredibus, hoc depoſcentibus.

29. Panis Peruſini Bacioje Piſtoris eſt celebris, & dignus erat, ut comederetur à ſolis nobilibus antiquioribus illius Illuſtriſſimæ Urbis, quorum parva laus eſt cum Octavio ſtrenuè pugnaſſe, & ideo nomen Auguſtæ retuliſſe, in cujus præclaræ rei geſtæ memoriam Manicam, retinent, quæ hodie à nonnullis per jocum appellatur ſuperbia Peruſina; nec immerito juxta illud Poëtæ

Quæſitam meritis ſume ſuperbiam.

Tum ſolidæ evadunt tam mucida fruſta farinæ, 30
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum,
Nec tentare juvet, ventremque implere latrantem.
Vappa fit & vinum putum, quam ſuccida nolit
Lana pati, & maculas addat, turbetque colorem
Fæx fundo impoſita, hic quoties ſua dolia purgat,
Qua plus unda ſapit pleno de gurgite ſumpta,
Cardiacumque ſolet guſtata inducere morbum,
Cum jam victa ſitu, aut in nigrum vergit acetum;
Nec vini antiquum, titulique meretur honorem.
Furcifer hæc hæres facit, hæc latronis ad inſtar
Molitur; ſupereſt aliquid ſi forte vigoris,
Illud aqua attenuat, ne tollat cornua pauper, 31
Elatâ ex Bromii faſtoſo munere criſtâ.
Quæ Teſtamenti, vis, ergo ſit mihi cura,
Hæredem ut perdat, vel nullius eſſe probetur
Effectus, ſcateat vel fumo, ſtultitiaque?

30. Sunt fere omnia deſumpta ab Juvenale Sat. v de Paraſito. Sed experientia noſtri temporis, comprobata, ut jam pudendum ſit adeo negligenter, immo iniquiſſimè defunctorum voluntati ab hæredibus ſatisfieri.

31. Ob ebrietatem pauperes tollere cornua eſt Horatianum: ſed adeſt de hoc Emblema etiam Alciati.

RE-

REVERENDISSIME DOMINE

A B B A S

PATRONE COLENDISSIME·

QVOD *viſum fuit difficile ſuis temporibus Poëtæ, ſatyram non ſcribere, noſtro hoc ævo contigit. Unum eſt diſcrimen. Tunc Purpurata monſtra ſceptrum gerebant orbis terrarum, nunc optimi Principes imperant, & quamvis in modum vigilantis Virgæ Propheticæ homines cuſtodiant, peſſimi mores inoleſcunt. Gratum ergo erit illis, ſi dens mordeat ater eos, qui recta declinant à ſemita, quam Reges & legibus & exemplo ſignant. Ad te ergo Quartam mitto. Legas rogo, &, quid ſentias de novo hoc meo labore, ſignifica. Multa ibi nomina videbis propria, ſed nullius certi hominis calcaneo inſidiantur; vitium inſectari contenti ſumus, ut virtutum amantes ſinguli Principibus placeant viris, quæ non ultima laus eſt. Tu qui honeſtatis apicem tenes, ibi conſiſte, & Icaromenipi exemplo, ex illo vertice terram errantem deſpice, & Vale. Cal. Novembr.* 1692.

QVAR-

QVARTA
DRAMATICA SATYRA

De indignis acquirendi modis.

INDVCIT

POETA MVSÆ

precibus Mercurium ſe ducentem ad Charontis cymbam ; ibi animas videt , ſciſcitatur, auditque multa circa turpe lucrum.

AD REVEREND. P. D.

PETRVM CANNETVM
ABBATEM CAMALDVLENSEM.

Ad carmen nos, Muſa, vocas? cur? forſan honoris
Phoebæi cupidum ſeræ tentigine famæ
Ducere amas pectus, millenos ferre labores,
Millenas curas, totidemque pericula rerum
Ne timeat? Nugæ bifrontis ſunt juga ſaltus,
Sunt Heliconis aquæ, ſtudiumque eſt fabula veſtrum;
Aonidum vulgus ſanos excludit ab oris,
Et citharam [illegible] vetat, plectrumque Poëtas.
Divitias quicunque tenet ſapit omnia; Egeſtas
Eſt pondus, miſeroſque premit, ne emergere quiſquam
Ad ſummum virtutis ſufficiens apicemque,
Culmenque, obrutus indigno jaceat ſub cœno.
Ergo tua arceſſant Atlantis verba nepotem;
Aſſuetus manes comitarier ille ſepultos,
Eſt opus ut noſcat, quæ opibus ſunt apta parandis.
Muſ. O numen præes quod furibus; una videtur
Furando nam communis via lucrandoque,

Hunc

Hunc, oro, ducas ad nigri fluminis undas.
Merc. Muſa ſoror, talis noſtrum fert ſemita greſſum
Ut bene non videam, ſecura an fronte viarum
Hic patiatur iter, triſtes ut currat ad umbras
Rhetoribus placeatque, & declamatio fiat.
Sit vecors nullumque timens fas juris & æqui,
Qui comes ire parat. Contra ſtudet ille videri
Moribus antiquis carus; ſententia menti
Si maneat fixa hæc, labor irritus, irrita vis eſt
Omnis: divitias nunquam ſibi congeret. auri
Qui Deus eſt Pluto, fraudis ſocius, ſociuſque
Fœnoris, in ſylvis jaculum latronibus aptat;
Inde homo, dum ſperat nummorum claudere in arca
Spectandam populis maſſam, veſtigia recto
Preſſa ſolo meditans, caput anſeris obtinet, inque
Toto mica ſalis non cernitur apta cerebro.
Muſ. Quænam verba fluunt Cylleni ex ore? Cethegos
Non tetigit gladius? non exulat & Catilina?
Unco non recitant ductos Annalia ſontes?
Merc. Græciſſant omnes, & quid non fæcis Achææ
Roma habet exemplo? quid non gens Lydia fucat?
Nomen amat vitium virtutis; præmia carpit
Hiſtoricus mendax; palpantes crimina, ventri
Succurrunt vates. In cauſſa eſt frater Apollo:
Qui totas luſtrat ſpectator lampade terras:
Dum videt ingentes profundere carminis offas,
Diſſonaque à veris vacuos cantare Poëtas,
Sævire effringens citharas in ve[illegible] raſo
Deberet, Myſtæ manus ebibitura cruorem.
Sint veri teſtes oculi. Properemus ad undas
Furvas, æternoque ſcatentes ſulphure ripas.
Ambo hic cernetis, tantum Plutonia regna
Incuſſiſſe animis dirum formidinis, ac ſi
Solis ſint pueris vix credita dicta Camænarum.
Poë. Ergo in conſpectum Stygiæ devenimus oræ?
Nonne prius terræ peragrandæ? non prius æquor
Tranandum? ſpatiis via non patet infinitis?

Merc.

Merc. Quid dixit grandis jam Virgilius? meminiſſe
Eſt operæ pretium, facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum, ſummo res plena labore.
In vulgum raptim glomeratum lumina fige.
[1] *Poë.* Flaminis en cerno, ni fallor mente, galerum;
Deſcendunt forſan tales? En noſcimus. Ipſe eſt.
Sed quæ culpa fatis, Stygios ut ducat ad ignes?
Auribus hæc committe meis arcana, repente
Emoritura illic, nulli & vulganda ſodali.
Spir^us. Turpis avaritiæ ſtudium, ferus ardor habendi
Me traxere ſenem. Promittens plurima, tandem
Pollicitis merui, quod cingeret infula crines.
Tum pactis renui contra fas ſtare, decuſque.
Hinc mihi prima mali labes; hinc ſemper acerbis
Me petiere odiis. Noſti quid fœmina poſſit
In furias quoties arſit. Quid plura? Repelli
Vox paſſa eſt. Quæquæ Dominarum grande ſuperbit;
Cumque foret Patrum contingens ſanguine Patrem,
Illius imperio, me invito, cuncta peregit.
Cætera quid narrem; Vulgata eſt fama ſuperſtes.
Poë. Hoc memini, & magnas ſonitum fluxiſſe per urbes
Redditibus Templi, queis eſt numeranda miniſtris
Servitii merces, quòd cantent Numinis hymnos,
Te famulis tibi ſelectis ſolviſſe quotannis
Pacta ſtipendia; Te curtam quoque pauperibus rem
Technis ſurripuiſſe malis nec ſæpe ferendis
Vociferant, ſacræ debentur ſingula menſæ,
Et pietas me prona movet, ſi his ulla relinquo.
Aſt meritis dignas opus eſt hinc pendere pœnas.
En alius ſe oculis procul admirantibus offert. [2]

Mœ-

ADNOTATIONES.

1 Raro flamines leguntur vitio Avaritiæ coinquinati; ſed tamen non defuere; noſtri vero qui ſuccedunt in eo officio ſunt frequentiores, ut jam pudendum ſit nos ab Ethnicis pietate & religione quandoque vinci, ut cecinerit ille:

Vendere jure poteſt, emerat ille prius.

Ut prætermittamus, quæ Divinus Ariuſtus, & Theologus Dantes ſcripſere. Nos tantum hiſtoriam narramus cujuſdam Cæſaris.

2 Novimus & alium, qui ſe torquebat inedia & flagellis, ut hoc

Mœſta quidem facies, lacrymis ſuffuſa madeſcit,
Tardaque profundit miſerum ſuſpiria pectus.
Dic, quæ cauſa adigit? qui turbat gaudia caſus?
Spir. Te latet id fortaſſe? Agni ſub pelle Lycaon
Vixi, ut purpurea poſſem malus ire Senator
Indutus trabea; minuit ſpes ipſa labores.
Poë. Ambitio demens, quid non mortalia cogis
Pectora? Sunt ergo, qui ſe vexare, quietem
Abjicere, & longis gaudent marceſcere curis,
Ut noceant animis! ut perdant corpora tabe!
At qui rumor adhuc, ſolo te pane cibatum
In lymphis ſedaſſe ſitim, donec ſua Phoebe
Cornua monſtravit plenum reparata per orbem;
Te Socratem verbis ſuperaſſe, nihil minus unquam
Effutiiſſe grave, & ſummi myſteria Regni
Edocuiſſe, hominem haud hominem, quid profuit ipſum
Dulce Patris nomen, Veneris quid dulcia ſemper
Munera, quid fugere optatas magis illecebrarum
Blanditias? *Spir.* Vulpinus ego, quæcunque peregi,
Hæc ſtudui ſimulator hypocrita imagine falſâ,
Quod ſæpe ad ſummos aditum patefecit honores.
Aſt oculos Cœlum nimios fert: fallere cunctos
Vanum eſt, thure dato, conducendaque tabella.
Poë. Ne plura effundas. Certa eſt ſententia; Poſtquam
Mors homines rapuit, cunctorum facta patere.
Ipſe tibi mala quærebas. Patere ergo malorum
Hic cumulum. E Cœlo deſcendit Γνῶθι σεαυτὸν [3]
Figendum & memori tractandum pectore. Sed cur
Qui ſequitur, fumantem alter jam tangit arenam?
Grande ſupercilium Curios decet, atque Catones;
Horrida quæ veſtit pullatum barba Vironem,
Digna eſt Fabritio, viſo hoc ut rana coaxet,
En animam, & mentem, cum quâ Dii nocte loquantur [4]

Mer.

hoc modo creſceret in exiſtimatione apud ſuum Principem, & omnia ſunt recitata ad amuſſim.

3 Noſce te ipſum. Socraticum dictum eſt, quod refert Plato, & uſurpat Juvenalis.

4 Numa Pompilius capturus auctoritatem in populo ſpargit rumo-

Mer. Sylva hac pilorum nomen ſibi conciliavit,
Et cuſtos Veſtæ dudum præſedit in æde
Virginibus, quæ cauſa lucri; quid enim petit ultra
Externas facies Bos major, qui docet omnes
Sulcare? Inde alii pro moribus arte teguntur.
Poë. Hactenus, ut video, tenuit dementia memet.
Vos ſudata diu, fertis ſi præmia nulla,
Vos ſudata, inquam, fertis ſi præmia nulla
Carmina, abite procul, valeantque Poëmata. Muſæ
Connubium fugio; ſi ſit ratio ſtudiorum
Ulla mihi; triſtes hac tempeſtate Camenas
Si voco, pro ramis lauri dentur mihi remi.
Tu propera: Pejora furor me cogeret iſtis
Exclamare; jecur pronum ſtat ſemper ad iras;
Et magis exarſit quoties Alcidis ad inſtar
Felle dolor, ſubitos bilis non tempero fluctus.
Te vero ad terræ centrum quis miſit Achilles?
Audivi ſummas divina in lege cathedras
Te docuiſſe prius, teque his dictante magiſtro;
Conſediſſe gregem collectum diſcipulorum.
Spir. Non hominum bene naturas noviſſe videris.
Arte ſua faber omnis abutitur: urceus ullus
Vix figulo eſt; caligis mendicus cerdo, togâque
Conſciſſa graditur ſutor. Qui in fœnore nummos
Damnabat poſitos, uſuris ſæpe lucratur.
Iret ut externus factus mihi ditior hæres,
Faſque, nefaſque ſimul junxi: me Rex Acherontis,
Inferni & docuere Dii; componere ab omni
Parte aurum ſtudui, totum conflare Tonantem,
Et ſolitus femur auratum Herculis & faciem ipſam
Radere; bracteolam de ſacro Caſtore duxi;
Et barbâ exutus primis Epidaurius annis

D Me

rumorem, ſe noctu didiciſſe ab Ægeria, quæ traderet Romanis. Tetigit id etiam Juvenalis ſat. 3. Dicimus autem, hanc eſſe vocem Ranarum ideſt plebeculæ; nam naſuti homines talia nunquam credidere, nec ficto aſpectu ſe decipi paſſi ſunt. Cætera ſunt nimis aperta.

Me rediit tonſore Syracoſio; pecudeſque
Sæpe ſacellorum deduxi poſtibus. Ergo
Omnibus auxiliis rerum mihi crevit acervus.
Poë. O Virgo, cui libra datur, cui fulgurat enſis,
Quid jam tarda manes? quid juſtas continet iras?
Fulmina quid faciunt cœlo ſuſpenſa ſereno,
Et Martis framea, & Cirrhæi ſpicula Vatis?
Aſt hic, cujus Avi viliſſima maſſa Canopi,
Quo pacto cumulavit opes, & margine cœli
Concluſit? ſine litterulis, atque artibus illis,
Quas natura fovet, præbent queis numina dextram.
Mer. Nulla fides pietaſque illi. Vivens Acherontis
Civis adhuc fuit, & rexit non ſpiritus artus,
Sed malus infernis Genius progreſſus ab antris.
Nil vitare atrum, cunctas corradere lanas
Mos erat; argentum coluit pro numine, & aurum.
Relligio ſed picta oculis, atque ore ſupino
Decepit populos, violarum ſyrmate clarus
Lanigeros templis apices, Pinarius alter,
Oſtendit flamen, Saliuſve cucurrit in urbe.
Eſuries impegit opum tentare, quod ultra
Nil habet indignum magis; & ſatiare medullis
Viſceribuſque famem levioris nomine culpæ
Inſcripſit, potuque ſitim reſtinguere Cyri.
Abſtinuit vetito fortaſſis fœnore? Tantum
Arcanis poſſet vitium cælare latebris;
Non erat in Glauco hoc mora, nec ſub pectore teſtem [5]
Geſtare horrebat, vel fraudem jure tueri.
Frumentum, fruges quotquot fert terra, vocavit,
Et quos contractus Judæus Apella recuſat
Suſcipere, haud tantus dubitavit ſponte ſacerdos,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Qui Tanaim Euphratemque bibunt fecere Scythæque
Plus diri? Exhibuit corruptam ſi modo orizam,

Omni

5 Hæc fabula, ſive hiſtoria Glauci enarratur à Juvenale *ſat.* 13. ex eo loco Spartano cuidam reſpondit Pythia vates. Vide Hiſtoriam apud Herodotum *lib. 6.* cætera ſunt adeo vulgaria ſordidis avaris, ut non ſit neceſſe aliud adnotare.

Omni pro pretio ſpoliavit meſſe colonum.
At pejus. Raro expunxit quodcunque tulere
Nomen Ephemerides. Sacra ad delubra vocantem
Poſtea præceſſit, traxitque frequentius ultro:
Tanta malæ urbano ſupereſt fiducia cauſſæ
In graſſatore, ut nimium, nimiumque agat ille.
Nec ſibi parcebat, crudelis, mente Timonis,
In quoſcunque alios. Scurræ centone Latini
Pro veſte eſt uſus; nunquam fuit integra abolla,
Non toga, non tunica, & poſitum jam ſubligar Acci
Ornavit ſummis Buſoni membra diebus,
Transferre in frontem quod debuit, aut pudor ipſe,
Aut meritum & formam cupiens aperire miniſter.
More obeliſcorum mitram geſtavit obeſam,
Quæ ſatis eſſe queat Campanas ungere crambes.
Tantæ inerant ſordes, uligo tanta capilli,
Sudante hoc minimis in cauſis ardelione.
Summus avaritia vixit ſuadente Patronus
Jejuni, procul utque famem religaret abactam;
Singula ſufficerent cum bina ad prandia, nata
Gallina ex cicure, & toto Septembre retenta,
Ova domi, dives niſi forte emptutus adeſſet.
Sæpe etiam ad ventrem converſus talia movit.
Quid petis, & toties hiſcens ſuſpiria fundis?
An neſcis? nihil humanis hoſtilius ecce
Spiritibus quam fota caro. Per inhoſpita Paulus
Teſqua pedem properat; per inhoſpita fert Hilarion;
Victitat hic herba, & ſolis quandoque lupinis;
Ni Coracis guſtet cœleſti ex munere panem;
Hoc dubiis procul eſt, nunquam inteſtina & alutam
Impleviſſe homines. Frugi frugalis habendus;
Et caſtus vix ullus erit, qui prandia lautis
Apparet illecebris, ructet qui grande falernum.
Hæc, ſibi perpetua indicit jejunia, fatus,
Et ſolvit, ſi forte famem miſeratus Amicus,
Unà ſimus, ait, vacuo ne culcita lecto
Ceſſet: Ibi oh quantis onerata celocis utrinque

Sunt latera, & gravior facta eſt ſentina ſaburra!
Sic læta illa dies macrum diſcriminat annum.
Curâ ergo carnis nullâ torquetur inanis,
Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna
Non credit, nigri ridet Cacodæmonis iras,
Et prorſus mundi ambitioſo culmine abhorret:
De hoſtibus inde hominis tribus huic victoria conſtat,
Cæterum ad exemplum fecit natura aliorum.
Nulla dies abiit, quin victima ſtaret ad aras
Ejus ſtrata manu, pateretur ſi ipſe ſacerdos:
Nec cantare preces pro munere prætermiſit
Juncta voce Choro, niſi fortaſſe utilitatis
Plus aliò accedens, caperet, contemptor honeſti;
Illius & ſemper vox iſta ſonabat in ore;
Non ego de Priami deſcendo ſanguine, non me
Majores decorant in curribus Æmiliani,
Et mea non remanent ulli poſt fata meorum.
Sum felix, ſimul ac nummos contemplor in arca,
Lætaque ſi faciunt in fructu rura beatum,
Ut lubet aut Irum me urbs cenſeat, aut Creperejum;
Quare, ut felle dolor furiis flagraret iniquis,
Aut rogitare ſtipem miſeros, aut poſcere amicum
Jam canum, cujus barbam ſua janua vidit,
Sufficiebat. Fronte obducta, ut Marſya victus,
Ilicet amiſſis ludis, & more bovino
Naribus emittens flatum plus ordine panſis,
Ac labia obliquans poſito ſermonis abibat
Uſu omni, veluti docuit Carthuſia linguis
Brunonis ſocios celebrare ſilentia puris.
Immo ſæpe Deos precibus ſupplex iteratis
Non ſine farre pio demiſſa fronte popoſcit,
Ut ſe marmoreum mutarent in ſimulachrum,
Et Phineus fieret, vel Atlas cito Gorgone viſâ;
Impaſtus ſiquidem, nullâ mercede ſolutâ,
In templis reſidens, Idolum tunc coleretur.
Mortuus eſt, legem promittens Chriſticolarum;
Non quod ſacra forent cordi ſibi ſabbatha, non quod
Pri-

Primævi ablatas curaret flumine ſordes
Adæ, at quod paucis minimiſque videtur in eſcis
Contenta hæc grandis gens, paupertate magiſtrâ.
Dogmata Maumethi lucro laudare triunci
Promptus, & alterius, quem velles, Hæreſiarchæ,
Et loculis Thraces, certum eſt potuiſſe minari
Pro palo, digitum ſceleratus ut erigat unum,
Litterulis primo de limine vix obiter, vix
Invito me, per tranſennam, perque anabathra
Obliqua aſcendens, dixit fugiendo ſalutem;
Sed novit, quæcunque vetant arbitria Regum,
Quæ proſunt artes, ut quiſque telonia ludat,
Queis decumæ cauſſis, quod vectigal numerandum,
Ex quibus Adverſaria, & amplum effecit Elenchum,
Poë. Hinc abeat, nigris ſeſeque immiſceat obbis,
Ne me decipiat veterator ſacrilegus, qui
Miſcuit humanis divina, humana ſupernis.
Quis vero eſt alter, qui naſo Rhinocerotis
Hunc ſequitur, terræque oculum defigit utrumque?
Mer. Nemo dolis capere ante fuit, contraria fingens;
Nam ſpecie recti deluſit: ſiparia at nunc
Sunt removenda: Nihil fraudis poſt funera reſtat,
Pontificis delator erat, ſed imagine ζήλȣ [6]
Officiens, anguis latitabat dirior inter
Lilia; Paſtoris toto ſic dignus amore
Vixit, & arbitrio in partem deflexit utramque,
Nam fraude oſtendit pro nigris candida, vera
Pro falſis, placitos veſtivit cauſſa colores.
At ſceleratus amor lucri, vel maxima nummi
Irrequieta fames ſordes inopeſque coëgit
Ad cœnas tales, rapere ut de funere carnes
Non jam aſpernaretur, veſpillonis ad inſtar,
Poſſet & illa pati, quæ non Sarmentus avaras

 Quaſ-

6 Iſtis delatoribus ſub ſpecie zelandi nihil eſt noxium magis in Republica hominum, nocent enim dum prodeſſe oſtendunt, & plerunque innocentiam ſic lædunt. Exempla dat frequentia Roma ipſa; quæ diſcunt reliqua minora oppida, ut à bove majori diſcit arare minor.

Quaſcunque ad menſas, alius neque ſcurra tuliſſet,
Plura tamen cecinit; ſiquidem, quod Perſius olim
Dictavit, venter nobis largitur acumen
Ingenii, & vacuus vir, mente valens, volat alte;
Sed quia nec ſtudio clarebant ſcripta nec œſtro,
Carta cito recidit tergendis ſordibus ani.
Decepit multis pietate inſignia corda
Verborum nebulis, & quidquid contulit aris
Ex voto quicunque reus, pro numine cuſtos
Accepit, ſibi convertens anathemata lucro.
Nullum prærupto finem dedit ore loquendi,
Effundens triviis veneranda ſilentia, quæ fas
Nulli aperire, & habent pro juſto vindice Petrum,
Improbo & oblongo nunquam fuit ille labore
Victus: homo vere ex paleis, aut æneus, ulla
Illuſæ tetigit quem non injuria famæ:
Omnibus at quando ficta hac probitate ſuaſit,
Se veluti è cœlo quartum cecidiſſe Catonem
Orbbrum illexit ſenſus, & lumina, quotquot
Urbe jacent, Patrum; mirantur verba fidemque,
Mirantur geſtus; Nemo prius ire ſub atras
Telluris latebras, quin luſtret pallida laurus
Hujus mota manu, quin nota piacula tollat
Vox audita Diis, pandat ſuperumque receſſus,
Ergo locum in tabulis primum, aut tenet iſte ſecundum
Et toto, ex aſſis vel quota expungitur hæres:
Adde quod in partes traxit, quaſcunque lubebat,
Mentem hominum illuſam. Illi tota fides fuit, & ſe
Judice ſæpe nocens abſolvit ſe, potuitque
Vincere corda ſui blaterando conſcia, pœnas
Tollere & impoſitas morum a Cenſore Metello,
Redditibus cumulum augebat fortuna dietim;
Proventu hoc vario cenſum conflavit Othonis,
Poſtremo & ſedem meruit Plebejus Equeſtrem.
Poë. Ne plura: hoc ſatis eſt. Phœbo, Jove, Mercurioque
Non ſequar hunc ſuadentibus. Ars olet haud bene juſtis;
Oſtendas alios ad opes mihi quæſo magiſtros.

Aut

Aut ceras affigam illa de nave petitas
Auribus, effugit cantus quæ remige ſurdo.
Mer. Hoc ſapis. Ipſe etenim quamvis ſim mercibus aptus,
Et læter quoties occurrens inſtitor audax
Aut ſolers, lucrum objectat, non ſacra profanis
Miſceri placuit, Petrum fierique Simonem.
Aſpice qui ſequitur, turbatis & licet illum [7]
Luminibus videam, nihil hoc te tangat; abhorret
Quandoque à noſtris ſtudiis, mihi nauſea ſurgit,
Et ſequitur, lucri quæ ſunt compendia, mores.
Sponte ſua haud fugit Veneris monumenta nefandæ
Tantaque forte fuit menſura, & in inguine moles,
Cæderet ut Gillo, ceſſiſſet numen & hortorum,
Hiſtrio ceſſiſſet, quem tu petis Ælia pauper,
Lucius aut, in quem membris migravit Aſellus,
At ſpecie quidam venalis Relligionis
Monſtratus digito, ſuccrevit, prætereuntium
Et macie abſumptus, lurore, & quæ oſſibus hæret,
Pelle, hujus ſæcli vixit ſpectandus in arte.
Tam lente emiſit ſecreto ex pectore quinque
Verba ſacris, ut gens omnis dum bile tumeſcit
Grande jecur, maledictis vel fremeret, vel portâ
Seſe proriperet patefactâ, vel recubaret.
Præmia ſed vitio obtinuit; vetula incerare Deorum
Nam genua aſſueta, etſi nulla tenacior eſſet,
Ædibus excepit, ſibi felix hoſpite viſa
Hoc Jove, de penetralibus adveniente ſupernis,
Et ſic gratus erat tantumque excivit amoris,
Ut nati ſpoliis, quem mors in flore juventæ
Abſtulit, hunc tegeret, pretium neque poſceret ullum:
Hujus tota domus nutu pendebat herili,
Arbiter & cujuſque rei regnabat in ædes.
Cum vero famulam præſtanti corpore haberet,

 Mon-

7 Fabellam non fabuloſam narramus, & utinam, ut cum Petronio loquamur, major ſufficeret ſcena! tanta enim fuit ars hujus verſipellis, ut digna eſſet quam videret Roma, aut Conſtantinopolis, aut ſi quæ major eſt Urbs.

Montibus his natam, cujus pulcherrima forma,
Relliquit propriam ſoli, ſoluſque moratus
Cum ſola (Bonitas quanta eſt!) hos continuiſſe
Credidit, ac leges ſi audirent inguina tenſa.
Quod ſi cum fractis mutandum ſulphura vitris,
Si ſciſſa eſt veſtis; ruptus ſi calceus alter
Vulneribus depoſcit opem, fieri hoc conſulto
Cuncta ſolent; Curator agit pro lite, vel extra;
Unus componit, per ſe formatque libellos,
Diſtrahit unus, emit, permutat, commodat unus,
Si placitum, veteres abigit, cultiſque colonos
Sponte novos agris, paſtores ſponte capellis
Dat, vigilant ovibus cuſtodes, quas cupit unus,
Aut Pupæ ingenui vultus, aut ruris alumnæ;
Quin etiam Dominæ natis legit ille magiſtras:
Hoc volo, ſic jubeo, tandem ſonat uſque ſuperba
Voce, mihi placet hoc, ſtat pro ratione voluntas.
Poë. Non ingrata foret famulando hæc ars dominandi,
Sed diverſa ſequi cum primis cœperim ab annis
Quid facerem? Obſtaret natura potentior, & ſcis
Illud Horati, quod furcâ hæc expulſa recurrit.
Carminibus chartas maculaſſe, & ſæpe ſolutis
Me numeris, ô Dive, juvat nil; fæmina ſpernit
Hæc bona; non virtus animi, ſed corpus amatur.
Mer. Innumerum vulgus ſpectas prope circumfuſum;
Selige; namque paro tricas arteſque docere:
Quod ſi nulla placet, tua te infortunia lædent.
Poë. Qui gemini adveniunt modo, formoſique videntur
Euryalus, Niſuſque, aperi quæ facta ſecuti
Viventes ſteterunt, quas & crevere per artes?
Mer. Diviſum inter ſe tractabant (quæ duo Romam
Evexere Diis) Agere, atque pati bene forti
Corpore, vel validis animorum viribus ambo.
Poë. Diſpereant; abeantque procul. Vir doctior, ore
Aureo Homilia in quadam vitium vocat iſtud [8]

Non

[8] Divus Jo. Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſtola prima ad Romanos cap. 1, ubi ſere habentur ea omnia, quæ noſtris car-

Non humanum. Homines ſiquidem plus dedecet omni
Et quamvis Græcas apud urbes turpe minus ſit,
Inde virile tamen nomen, virtuſque necatur.
Nec ſolum dignum eſt ultor deſcendat ut ignis,
Pentapoliſque inſtar reliquas diſcriminet urbes;
Sed pathicus meritò majorum re caret omni.
Mer. Audi, & Doctorem Conſtantinopolitanum
Crede loqui, cujus ſcriptis nihil errat inanis,
Et nihil eſt falſi. Execrandum enormeque fœdum
Hoc vitium inviſos adeo, vileſque facit, quos
Tangit, ut haud hominis mereantur nomen habere;
Corpora fæmineis, quæ vendit nocte lupanar,
Deteriora facit, nec jam inde virilia tractant.
Si errat enim mulier, legum reverentia læſa
Eſt tantùm; ſi vir natura offenditur ipſa,
Quod nequeat parere, & partu retinere cadentem
Quotidie mundum, Patrumque occurrere morti.
Poë. Quiſnam ille intonſus, cui non conjungitur ullus?
Mer. Vendidit hic Patriam. Qui proximus intervallo
Non longo eſt, corpus ſtuduit jactare petauro
Et veluti alatus rectum deſcendere funem:
Alter adeſt menſas auſus turbare veneno;
Alter ad uxoris thalamos adducere moechos.
Poë. Eheu grande nefas! Horrent præcordia, ſanguis
Siſtitur. Ecce lupis pejor furit, adverſuſque
9 Eſt homini aſper homo; Tenui pulmone rubetæ
Bella gerunt populi. Qui alias decerpere ficus
Vultque alias tractare roſas, medicamina geſtet,

carminibus explicantur, quem locum videant illi, qui fortaſſe nos obſcæniores exiſtimant, quam patiantur decori leges: nam nunquam nos male locutos fatebimur, quando aureo illo utemur eloquio. Cætera quæ adduntur de Veneficis, aliiſque hominibus, turpis lucri gratia ſunt appoſita, ut modi omnes acquirendi tangantur, cum fere vix alius reperiatur, qui opes ingentes brevi acquirat ſine aliqua fraude, niſi doctrina, aut arte bellica ſit præſtans. Hos enim merito comitantur opes, comitantur honores, & ſummis laudibus commendandi, non ſatyrico felle ſunt perſtringendi.

9 Sunt carmina Juvenalis ob exclamationem emphaticam conſulto appoſita.

Eſt opus, invenit ter victus quæ Mithridates.
Nulla fides, jam nullus honos, verecundia nulla.
Mer. Ne clama. Refugis quando ſcelera omnia, pauper
Vive, ſciaſque, duos contentos eſſe putandos;
Si quis habet ſibi cuncta bona, & vix hoc datur ulli;
Si quis forte ſuis Cynicorum more, quieſcit,
Quod cuicunque licet, naturæ qui melioris
Legibus aſſuetus, Titanum prælia ſpernit,
Nec ſuperos petit, armorum vice, ſæpe querelis.
Si parvis refugit contenta penatibus eſſe
Frons, rugamque trahit nimiam, extenditque labellum,
Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſia regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narciſſi,
Ut tuus in quarta poſt denam fert Juvenalis.

IL-

ILLVSTRISSIMO EQVITI

CAROLO ANTONIO SINIBALDO

FAVENTINO

S. JACOBI DE SPATHA

Ordinis Militaris.

ILLVD *Ariſtophanis in Avibus me deterrere deberet* τί γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγε; *ſed memini Pindarum lyricorum Principem docere, ut imperitis carminum carmina non donentur, quoniam eorum auribus Muſæ non ſapiant, qui procul à Muſis exulant, & ſic* ἄδωρα δῶρα, *veluti Ajacis, & Hectoris. Hac de cauſa tibi Quintam mearum Satyrarum nuncupavi, eoque feci libentius, quod priuſquam alii videant, poteris ipſe, ut eſt eruditio tua ſingularis, quicquid erratum fuerit corrigere. Fac, te rogo, & obteſtor. Si vero multa litura nequit, una litura tollat indigna, ut prodeant. Magnum peto abs te, ſed pro amore, quo proſequor, pro tua humanitate, pro ſtudiis noſtris communibus non iniquum quod poſcatur. Vale decus litterarum, meque ut diligis dilige*

L'ACCIOTTOLATO INTER
Incitatos Faventiæ.

De

DE MALIS
PRINCIPUM MINISTRIS,
Et vice verſâ de ingrato Principum animo erga bonos fidoſque miniſtros

SATYRA QUINTA.

AD ILLUSTRISSIMUM
CAROLUM ANTONIUM SINIBALDUM
Faventinum Equitem
S. JACOBI DE SPATHA.

Non mihi cenſetur culpandus, quiſquis in aula [1]
Cernere amat; vultu ſibi num fortuna ſereno
Rideat ante diem tumuli, poſtremaque fata.
Oblitus teneræ venator conjugis, Alpes
Per niveas ſequitur, per ſaltus, perque fruteta
Invia ſylvarum frendentes dentibus apros,
Seu viſas catulis cervas, fruſtraque reluctans
Labitur ad terram præceps, Cocleſque notatur;
At qui tunc gaudet Paſtor ſua ſepta capellas
Claudere, & agreſtis defenditur igne colonus.
Multos caſtra juvant, & Martis triſtia bella.
Quos ſi quando roges; Quæ cauſa movet, vel dites
Cum lituis ſonitus permixtos ferre tubarum?
Reſpondent; Moriar poſitis inglorius armis,
Ut timidi, quorum friget formidine ſanguis?
Atque ita quiſque ſuos abſcondit pectore ſenſus;
Immo omnis Genio regitur Provincia, mores

In-

ADNOTATIONES.

1 Probat non eſſe culpandos Aulicos; quia & alia exercitia ſequentes in explendo munere ſuo labores ingentes tolerant. Inductione autem utitur cum objiciat oculis venatores, milites, & poſtremo dicat unicuique velle ſuum eſſe, immo & Provincias omnes impelli à Genio ſibi proprio.

Inſpiratque loco proprios: Gravitatis Iberus
Dote tumet; Gallos contra levis impetus effert,
Celtis à priſcis oriundi Teutones, eſſe
Vitæ pro famâ contemptores, ubi currant
In fera bella, ſolent; fidei contermina Gens eſt
Incertæ, variatque ſinus odiis & amore;
Ergo videre licet, quod voto haud vivitur uno.
Inde nihil mirum, pretium ſi ſolvit abundans
Divitiis, Domini torqueri ut poſſit in aula,
Non ſecus atque Prometheus, Ixion, Tityuſque; [2]
Pagina nam captat longa, & ſublimis honorum.
Hoc iter evexit Sejanum, ut proximus iret [3]
Tiberio, nutuque illius ſæpe ſecundus
Ipſe foret Cæſar: Tamen exitus ecquis? Ad oras
Quales navigium appulit? aut cineres tumulo quo
Compoſuere viri, portantes grande feretrum?
Crevit, ut in præceps caderet ferale ruina,
Principiiſque albis extrema adnecteret atra.
Dum nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus. Adorabant Sejanum Numinis inſtar
Plebs, Patreſque ſimul; virtutes & vitia ipſa
Dixere; effulſit donec fortuna ſereno
Imperitans vultu: ſtatuas extruxit equeſtres
Una dies, eadem confregit crura caballis
Immeritis, dum deſcendunt reſtemque ſequuntur.
Mobile ſic docuit Sejano ſydus in uno,
Quas variare vices ſors mutans ima ſupremis,
Et ſuprema imis poſſit: meliore magiſtro
Terra caret, titulis famoſis, conſpicuiſque
Ut ſurgunt, fugiuntque humanas, ſomnia, montes
Quæ

2 Pœnas Promethei, qui laceratur à vulture; Ixionis qui torquet rotam, & Tityi qui ſitit in undis, & poma fugientia captat, aptantur Aulicis merito; Cum alii ex ipſis torqueantur ab invidia, quæ cor conſumit, alii nunquam multitudine negociorum quieſcant; alii etſi abundent opibus, ne cibum capere poſſint operam ſuam ſub ſpecie honoris aſſidue navaturi.

3. De Sejano præter Hiſtoricos loquitur abunde Juvenalis Sat. x.

Quæ falſis ludunt ſimulachris, ſic cito venit,
Atque abiit Sejani ſumma potentia Romæ.
Conſona habes veris. Pannoſis purpura fruſtis
Jungitur; Imperium manicis, nox atra diebus.
Hoc ut monſtraret veterum ſapientia Patrum
Impoſuiſſe rotæ Dominam ſpectamus, ad imum [4]
E ſummo ſubita vertigine quæ referatur.
Sortis at eventus mage conſpicuæ magis altos
Vexant, ut ſolis defectus, deliquiumque
Lunæ omnes oculi mirantur. Curribus Oſcis
Qui cadit, aut luxat genua, aut ſibi brachia frangit.
Clauſa ſub Areti vulgaria vina bibuntur,
Fictilibus tutò, Craſſis aconita timentur,
Pocula cum ſumunt gemmata inſigne falernum,
Et Cereris genero dedit hanc ob Græcia cauſſam
Cornua, cui ſervit divina pecunia Regi,
Quod ſæpe ante diem rapiuntur cæde Tyranni [6]
Illius inque ædes venientes, cornibus ipſis
Aſpiciunt mento ſuſpenſos, vel pede fixos.
Pellæus juvenis Macetum mutavit amictum
Barbaricum in cidarim, Perſarum Rege necato;
Sed menſis Darii rapuere venena cubantem.
Cognomen Magni, Pompejum & bella probarunt;
At poſtquam Cajo plauſit victoria campis
Emathiæ, Pueri fugientem hunc abſtulit enſis.

Quid

4 Dominam, ideſt fortunam. Sic vocat eam ſæpe Horatius, & certe in Bonis quæ illi tribuuntur plurimum pollet. Quare Hiſtoricus aſſeruit; *ſed fortuna porro in omni re dominatur*. Hanc Rotæ impoſitam docent Mythologi, quod celeri vertigine circumvolvatur.

5. Aretina fictilia fuerunt valde nota antiquis, unde illud Poëtæ.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus.

At raro in illis venena miſcentur, quia ſolent eſſe in uſu pauperibus, quamvis legamus fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem. Craſſus vero ponitur pro divite, & potente, qualem legimus fuiſſe Marcum Craſſum.

6. Per jocum ſcribitur, quod Reges appendantur cornibus Generi Cereris, ideſt Plutonis, cum ſæpe ante diem rapti moriuntur interempti ferro, aut veneno. Quod probatur exemplo Alexandri, Pompeii, Mariique.

Quid clamore polum ergo juvit frangere utrumque
Sollicitando Deos precibus per publica vota,
Provida cum optandas dederat Campania febres?
Sic Mario in terris quid Roma beatius unquam
Vidiſſet, circumducto agmine captivorum,
Si victor poſt arma animam exhalaſſet opimam,
Cum de Teutonico vellet deſcendere curru?
A Sulla huic victo non ultima probra tuliſſent
Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus ſub Mauro Principe panis.
Aſt ego ſi vellem, quodcunque eſt Hiſtoriarum
In priſcis Annalibus hic ſubnectere, muſcas,
Aut numerare pararem formicas, veniente
Vere novo, erumpunt Terræ quæ ex ſedibus imis.
Hoc dicam, Sinibalde, rotant ſi Regibus aſtra
Quandoque adverſa, Aſtrææ quòd jura, Deuſque
Exigit hoc; virtutis enim raro eſſe patroni, 7
Præmia ferre bonis curant, nebulonibus atque
Scurris, ne pejus quicquam dicatur, amici;
Qui vero ſervus, vitam dare promptus, apertæ
Qui fuerat fidei, ingratos lacrimatur, acerbos
Carnifices patitur Dominos: vel nulla, vel ipſis
Sera venit merces, cadit udâ ſemen arenâ.
Dux melior fuit anne ullus, quàm Scipio Romæ?
At qui Linterni tumulo ſtat conditus exul;
Pro domita fructus Carthagine, pro duce luſco.
Nec deſunt alii, poſtquam fudere cruoris
Flumina vel Belgis, vel Gallis imperitantes
Agminibus, velut Hiſpanis, quos carcere vinctos
Tarda necat mors, & precibus quandoque rogata;
Cum

7 Si cædes, & infortunia Tyrannorum ſæpe audiunt, hoc tribuitur juſtæ ultioni, quoniam ipſi non ſunt in bonos munifici, & in malos ſæpe proclives amor, & beneficentia. Qua de cauſa frequens eſt amiſſio fidelium Ducum, & conſilio potentium; quod probatur exemplo Siſenis ab Alexandro perempti, & fortaſſe ob falſam ſuſpicionem, ſaltem indebito modo, nulla facta ipſi copia ſe excuſandi. Videatur Q. Curtius, apud quem ſunt etiam alia exempla Clyti & Parmenionis.

Cum tamen haud gratum ſit vobis, iſta, Dynaſtæ,
Dici, temporibuſque ſuis bene ſingula reddi,
Nominibus parco: ſumat ſibi debita quiſque.
Nam quamvis fallax crebro Hiſtoria omnia fucet,
Barbaricisque decus factis imponat honeſtum,
Gloria non vobis, Populo Cenſore, paratur.
Ars Machiavelli, Tacitique, haud proficit, etſi
Præſidium regni cenſetur; ſæpe miniſtros,
Sæpe duces rapuit re, conſilioque fideles;
Spargitur hinc creber rumor, quod Proditor alter,
Alter quod ſceleris ſummi fuerit reus, ergo
Turcarum exemplo in fiſcum male parta feruntur;
Non tamen iccirco fortes animæ revocantur
E Stygiis latebris; Quis enim petat Clyſiorum
Seceſſus, merita haud pereat ſi morte, ſed ante
Fatales horas fractus, ſubitoque furore,
Impoſitus diſco, gabaliſque, noviſſima dicat?
Utque loquar de illis, quos jamjam condidit urna,
Quid ſceleris Siſencs patraverat, aut meditatus
In Pellæ Regem fuerat, vel in agmina Regis?
Exilium in patriam mutaverat, & Macedo jam
Factus erat, Darii in damna hic deſumpſerat arma,
Civium & inviſo tepefecerat ipſa cruore.
Ad fines Iſſi Cilicis conſederat arvis,
Quum Nabarzanis defertur epiſtola caſtris,
Annulus ignotæ quam ſculpſit imagine gemmæ;
Hanc prius exceptam Cretenſis Alexandro gens
Oſtendit; memor, hortabatur littera, ut eſſet
Nobilitatis Avûm, morum, Medæque tiaræ
Motu illo. Hanc legit Siſenes, Regique ſecundo
Expectare diem, quo proderet, & gravis illi
Non foret officio, cœpit; nam ſumma premebant
Munia Pellæum. Venerans mora ſed ſcelus ingens
Eſt viſa; hinc obtruncat eum, diſcerpit & enſis.
Quid prodeſt Græco famulum vixiſſe Tyranno?
Quid caput incertis belli objeciſſe periclis,
Et fidei teſtem profuſum oſtendere ſanguen?

O Re-

O Reges, Reges, tortorum munere fungi
Aſſuetos! Ergo crudeli ſpargere ferro
Membra licet conciſa feris? tumuluſque negandus
Hoſpitis extremo cineri? eſt incuria tanti?
Nonne vocandus erat coram? Purgatio culpæ
Non præmittenda? haud dignum ſuſpendere librâ
Hinc atque hinc factum? Præceps eſt ultio ſemper
Injuſta, & nunquam Reges decet ira laniſtæ,
Nullaque de morte eſt hominis cunctatio longa.
Nec factum revocare licet. Committere Perſæ
Debuit ergo caput Rex? & quid ineptius? ipſe
Haud nego: ſed ſociis fuerat cur adnumerandus?
Credas; impacta ſancibat jura ſecuri;
Sicut quando Clyti tranſegit vulnere coſtas,
Dum monet elatum, placidèque objurgat amicum;
Aut quando levibus de cauſſis Parmenionem
Abſtulit, in morem latronis, fraude petitum,
Cui patris nomen dederat, quo vicerat omnia.
Ah! veluti abſciſſum Tomyris demerſit in utrem
Sanguine ſpumantem Cyri caput, ut monumentum
Regibus, immitis quibus eſt mens, conſtituatur.
Sic fiat reliquis, ſitiant qui haurire cruorem!
Cujuſcunque hominis qui poſſint perdere vitam.
Aſt occidendi non una via eſt, gladiique
Non jugulant omnes; angoribus interimuntur
Plures; anxietas perimitque moleſtia quoſdam.
Sideribus Trebius dubiis uxore relicta,
Impiger Helvidio properabat fauſta precari
Omnia, vel rhedam comitarier Exquiliarum
Per montes, cum udo ſtillaret pænula nimbo,
Nec dabat ipſe, domus quo ſolvi penſio poſſet
Integra; ſed famulis injucundus, dominiſque,
Sudabat fruſtra miſeranda tabe pereſus.
Aulicus hac tonſus fortunâ ſæpe tenetur,
Et ſimili eripitur viventibus hemitritæo.
Mos varius dominis dicendi; Ingrata laboras
Officia expendens, aſt omnis vox ſonat unum.

Pro verbis rebus Machiavellius utebatur [8]
Maximus è Patribus Latii, quos purpura veſtit.
Namque abigens nullum, quem ſumpſerat ante miniſtrum,
Sic illudebat; geminis in menſibus ille
Nunquam, vel ternis compellabatur adeſſe,
Donec, more Aleandri, expelli ſponte rogaret,
Inſuper & grates perſolvens feſſus abiret.
Eſt qui tranat aquas perductus amoris ab igne,
Ut novus accedat periturus Seſton Abydo;
Protinus at viſo clauduntur ligna feneſtræ,
Janua limen amat, fruſtraque videre Druillam
Appetit. Ergo docet, quod talem ſpernit amantem.
Hunc uſum in lautis obſervat caupo popinis,
Quod non ſolventes vacuis conſidere menſis
Dum ſinit, hæc tacitus loquitur; Procul eſte profani.
Nutrices etiam conſpurcant ubera felle,
Sic pueros arcent à mammis. Qui bene novit
Sidera, diverſis aſpectibus alliciuntque
Et terrent, cœlo commiſcent triſtia lætis.
Diſcite ſermonem Regum, quum fertur ad aures;
Hi dicunt, placet hic cumulando muneribus, ſed
Cum data deripiunt, contraria ſenſa profantur.
Sin minus expellunt aliquem, manet arbiter illi;
Pars lucri exigitur, Criſpinis penſio danda, [9]
Quod ſonat Hetruſcè, hinc abeas, aut hinc removere,
Aut veluti vinclis detentus vive ſupinè.
I nunc, & florem validæ conſume juventæ
More canis dura vigilans religare catena,
Te ſors, quo nec fingebant tibi ſomnia, transfert,

Et

8 Iſte Machiavellius fuit ſæculo ſuperiori clarus è Patribus Purpuratis optimis moribus, & virtute inſignis: ſed hoc modo ſuos familiares dimittebat, ut contigit doctiſſimo viro à ſecretis Hieronymo Aleandro, quem laudat Barclajus in Argenide ſub nomine Hieroaleandri.

9. Hic mos imponendi penſiones in officiis, ut unus labores ſubeat, alius lucrum percipiat, etſi novus, jam eſt frequens cum damno Populorum, qui ſupplere debent tantum, ut ſatis ſit miniſtro pro penſione ſolvenda, proque ſuæ ambitioſæ cupiditatis ingluvie.

Et caſu partes etiam fortuna mihi dat
Hac agere in ſcena, ſuſpenſus rupe Prometheus.
In montis qui valle Lupi modo ſtatis Apelles, [10]
Si pingenda unquam ſunt infortunia vobis
Vel patinæ in medio, patulo vel fictilis orbe,
Fingite me poſitum Thebaidos inter eremum,
Et ſortem expertum rabidam, pejora timentem:
Meloten ſimulate atram, laceramque, colore
Nativo tinctam, quæ velet pinguia membra,
Sed rimis pateat, ventoſque admittat hiantes;
Muſſitet in gyro conſiſtens ruſtica turba,
Et ſuadente famis rabie me poſtulet eſcam,
Cum mea non toto meſſis mihi ſuppetat anno;
Quæ fecere alii interea ſunt nomina multa
Solvenda, & præſens quæ vult exactor, ubi æris
Vix eſt ſufficiens pro menſis ſumma minutis.
Hoc quoque deterius, ſenio jam proximus ægros
Impegi in ſcopulos, fractâque ratis meliore
Parte eſt ceſſandum, nec prodeſt alta voluntas.
Pingite, Parnaſſi quòd me perſæpe ſorores
Solantes lymphas fundunt meliore diotâ.
At quid Muſarum cumulant noſtrique labores?
Semiſepulta jacent perituris condita chartis
Omnia, nec ſpes ulla manet; contraria Phœbo
Nam Procerum mens eſt. Pereant. Ego cætera ſperno,
Europæ at decore optarem mihi Buda ſuperſtes [11]
Viveret, & longos Thuſcis legeretur in annos;
Spes reliqua haud grandis fuerat; ſpes iſta repente
Elapſa in fumum tenues effugit in auras.
Sic placitum ſuperis, ſuperum ſic & ſimulachris,
Si quod jam vacua nobis ſervatur in arca,

10 Hic per jocum ſemet ipſe, ſuoſque caſus aliquos deſcribit Poëta. Mons autem Lupus eſt Caſtrum inter Piſas & Florentiam, ubi in urceolis, & patinis vulgariſſimis fictilibus pingunt rudes in arte quoſdam homines, & mulierculas, ut vix humanam effigiem exprimant.

11. Intelligit de Poëmate Heroico à Poëta Hetruſce ſcripto, ut dicitur in ottava rima, in quo plurimum laboris adhibuit.

Rubreni Lappæ ſimilis nunc pignoro, juris
Publici ut Atreus exiſtat, quis reſtituet, quis
Alveolos refici curabit? Quis Paris alter
Papinii intactam pretio ſibi quærit Agaven
Et miſero chlamydem vati largitur, & eſcam?
Ah! potius moriare ſimul jam grande Poëma
Interitu auctoris, tenebris quàm proferat illud
Hiſtrio. Quin certe Bareas ipſe & Camerinos,
Atriaque illorum, ſecedens ſponte relinquam.
Quod ſi per plures annos laudare paravi
Hos, me pœniteat merito. Sibi congerat aurum
Quiſque ſuum: ſi nil ſupereſt miſcebo corymbis
Phœbeas lauros, atque hac ſatiabor in eſca.
Mæcenas aliquis naſcetur, vel Proculejus,
Interea Fabius, vel Cotta Camenarum, cui
Inſit amor cordi, tollentque ad ſydera frontem:
Tum par ingenio pretium, tunc utile multis
Pro vinis oleum, libros pro veſte paraſſe,
Et Tragicis Hecubam Atrejumque aptare cothurnis.
Sed redeant alii, famulando tempora vitæ
Qui conſumpſerunt, nil fructus inde lucrati.
Hi cineri inſidunt uni, ſemperque cubantes
Aſcendunt nunquam, fortunæ & munere ſignant,
Non ceſſiſſe loco, veteri ſub ſede relictos.
Dicitur Arpinas ignobilis, arva colebant
Cujus avi, duros ſoliti tractare ligones,
Cujus erat mater vendens in fruſta ſiluros:
Sed vinique virique boni patria haud quærenda eſt.
Facundum invenies ima de plebe patronum
Nobilis indocti promptum defendere cauſſas,
Qui juris nodos, & legum ænigmata ſolvat
Cecropidis melius: tolluntur ſed tamen alte
Raro parvi equites: Plancos, Druſoſque ſequuntur [12]
Purpureæ veſtes, hæredes ac oriantur.

Vis

12 Parvi equites, vulgo Cavalierini, etſi meritis antecellant, ſummo cum labore vix ad ſacras Purpuras perveniunt, & multorum patiuntur Procerum invidiam. Qui poteſt capere capiat.

Vis quantum poſſint uſus cognoſcere? doctos
Excludunt Academiæ, niſi Creticus illos
Progignat, valeantque in avis numerare Nerones.
Fama vetus minor atque minor ſonat inde quotannis,
Ipſe recedit odor primus, mucore ſeneſcunt.
Pauper, haræ cuſtos fuerat qui imberbis, adultâ
Hic barbâ, aut ſenio confectus, ſervolus idem
Deſpectus, ſcopis inviſum verret equile?
Lemuribus ductus Matulo fuit, aut inſanus, [13]
Inque opere extructo nil curæ, induſtria nulla.
Cur igitur navis commiſſa, & cur Palinurus
Factus vel levis eſt claſſis? reſupina fatenda
Culpa, & ſi geſtæ non dignæ nomine ſumpto
Res parent, removendus erat. Non tutius ullum
Conſilium ſubito; at canum dimittere ad oras
Quo Padus ingreditur, cœno ſtagnans forum Arii.
Aut aliam ad foveam, quâ viventes ſepeliri
Contingat; pretio quocunque hoc non ego laudem.
Sed tamen hoc liceat; cum ſcurra, cum nebulone,
Ne ſævire magis ſit opus; cur legibus iiſdem
Utendum eſt; alii ſi diſpliceant, aut errent?
Corbulo, ſeu mavis Frontinum, clauditur arce: [14]
Dic quibus in rebus peccavit? cur reus âdſtat?
Scire negas cauſſas? perſiſto, & colligo tandem,
Inſontem plecti, feciſſe, & fortia paſſum.
Sed quia Gallorum conſurgens criſta ſuperbit,
Hic frendit, culpæque alienæ fert ibi pœnas,
Dumque fugit ſonipes, contundit verber ephippium.
Quid juvat exactum inter Martis prælia tempus,
Quid quandoque ejus terram maduiſſe cruore?
Exitus hic. Sapuere pares, quos abſtulit iræ

13 Matulo eſt nomen fictum deductum à matula, qui poſt diuturnam operam navatam ſemper deterius ſtipendium nactus fuit. Plures ſunt ejuſmodi noti, etſi plura non dicantur.

14 Corbulo, & Frontinus fuere alter Dux, alter ſtrategematum ſcriptor. Duorum dotes habebat in ſe unus, qui apud Indorum regem fuit in arce quadam clauſus, at qui nihil erraverat. Sic voluere priores ejus regis conſiliarii.

Surgenti fuga, quos tonitru perterruit ingens,
Fulminis & flammas ſic vitavere triſulci.
At culpa quicunque caret gerit ægida, dices,
Cui nullum jaculum, nullus valet enſis obeſſe.
Credimus. A vinclis tamen & Socrati fugiendum,
Carcer & inſonti feralis pœna Cimoni:
Hortatur Capito Myrtillum, ut facta loquatur; [15]
Inde reum plectit fruſtra clamante Macrino.
Juſtitiæ numen ſanctum eſt; ſit; ſed procul enſis
Eunomiæ alterius jugulo mucrone coruſcet,
Quamvis ſit judex celſâ Cato ſede recumbens.
In pejus ſemper terrarum labitur orbis,
Idque Dii in terris facitis, ſimulacraque reges
Viva Deûm; nam pœna reis, & præmia juſtis
Si impoſita eſſent, non vox impia ſæpe volaret;
Turba Philiſtæa ut pereat, Sanſon moriatur;
Æqua ſequi vellet quiſque, & pia facta placerent.
Illud huic ſcelus eſſe, hoc alteriuſque probari [16]
In vita, arbitrium eſt, quod Thrax, quod Maurus & Indus
Non ferrent taciti. Vindex Aſtræa machæram
Deſerat, aut populo plectendo inſerviat omni;
Sol currum attollens micat undique, nec minus uni
Quàm reliquis lucens totum diſcriminat annum.
Principibus juſtis decorari hæc tempora novi;
Triſtia ſed quando currebant ſæcla; dynaſtæ
Præmia, vel pœnas ſubjectis diſtribuentes,
Inſtar erant digiti, jam lapſas qui docet horas,
Seſe convolvens, nunquam requietus, in orbem,
A primo currit poſtremum tangere ſignum;
Sic minima uni, aliis quæ maxima ſunt tribuebant.

Non

15 Hiſtoria hujus Myrtilli, Capitonis, & Macrini ſatis nota eſt.

16 Hoc peſſimum eſt inter vitia. Plura quid referam? Pleni ſunt annales, plenæ hiſtoriæ, plena commentaria, nec longa pagina ſufficit enarrandis omnibus. Dicunt Hetruſci *Bando di Poppi Perchi ſi e perchi nò.* Scribimus tamen aliqua familiaria exempla digna riſu, ſed non prætereunda ſine animadverſione.

Non latet & nos, exemplo quod regula Lesbi
Affertur; quod non æqualibus æqua paratur,
Quæ diſpar menſura; pares & par decet ordo;
Non tamen eſt ſenſus, ſceleratum poſſe Tubullum
Spurcare effigiem Divûm ſiphonibus altis;
Laureolo crux aptetur bene grandior illâ,
Quam conſtruxit Aman Patruum rapturus Ediſſæ.
Se nummis Marius, nummis Verreſque tuetur,
Publius exul abit pauper; namque Africa victa
Nil prodeſt; abigeis prodeſt ſpoliaſſe Sicanos,
Octoniſque horis contra illum oraſſe ſecundum,
Eloquiumque tonans invaſiſſe hunc Ciceronis.
Diſplicet impune aut pelago, aut in flumine mergi,
Aut in latrinis extinctos; lumine vellem
Juſtitiæ quæri; vel Craſſi divitiarum
Cenſores, vellem, cumulos in jus vocitarent.
Uſque ſenatores deberent viſcera corvis:
Purpura ſed defendit eos, in judice nulli
Ecce vident oculi; ſimiles concordia ſervat;
Curia conjurat, junctæque umbone phalanges.
At ſi ira ſtimulante manus, inſurgit ad arma
Ruſticus infelix palo ſudibuſque præuſtis;
Tunc Aſtræa movet libram, tunc vindice ferro
Deſævit. Paucis miſeros ſpoliare laborant
Nummis Prætores, judex, ſævique clientes,
Quos ille effuſo congeſſit roris ab ore
Largo imbre, & terras invertit mane bidenti,
Ut puerûm panis ſuccurrat cruſtula ventri.
Cauſſa modis variis invertitur, ipſaque ſæpe
Redditur, & ſellam laxat, ſanctumque tribunal,
Nec miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.
Albûm vulneribus ſi quis conjunxerit ovi;
Si quis diſtrinxit lino, ſi faſcia ſuta eſt,
Omnia ad examen vicatim turba vocatur,
Atque ſatellitio ad ſævum rapiente Procruſten
Mæſta ſubit, paſſura gravem ſibi carceris umbram.
Si vero eſt ſicæ centenis ictibus alter

Confoſſus, lucri ſpes deſit, procubuit bos,
Negligitur penitus, nil nuncius afficit aures.
Clodius ut cribrum perfoſſus concidit? ad me
Quid ſpectat, judex inquit, ſicaria fugit
Jam manus; hic terræ mandetur; certior auctor
Eſt expectandus: quis enim diverberet auras;
Linteus aufertur, quamvis tritiſſimus, (atque hoc
Vidimus, haud aliter foret apta fides auditui)
Ilicet eſt mulcta ſpoliato dicta, latroni
Eximio, atque illi, ſtuduit componere qui rem.
Sæpe trucidatur civis, quis commovet urbem?
Si jacet extinctus, tumulo quis membra reponit
Ante diem exactum? plateis biduo ipſa morantur
Vulturibus, canibus, milvis forſan comedenda;
Pipio ſi egreſſus nido, dum turre moratur,
Occiſus ſclopo cecidit; fert agmina Parthus,
Armantur Seres in prælia, Brennus & arce
Stat Capitolina. Vinclis vicinia tota eſt
Conſtricta, obſcuri ſecreta in fornicis obbâ
Clauditur, & nulli verbum conferre palato
Speretur, tanquam Jugurtha ſit aut Catilina.
Quod ſi ſupplicibus depoſcas pauca libellis
Effari; hoc iterat Prætor; capitalior iſta
Nunquam cauſſa fuit; cuſtodit clauſtra ſatelles.
Tam caute hic agitur? tanta eſt vigilantia? cauſa
Ex cauſa ſeritur? diſquiritur, an jusjurandum
Oblitus teſtis dicat non conſona veris?
Et virga extemplo ſævit cenſoris in illum.
Quid dignum tanto feret hic Servaſtus hiatu?
Parturient montes. Pretio triginta Philippûm
Pandentur Phylacæ teſtes, jurare parati
Quid libet, exſurgent; ubi nunc reverentia legum?
Ne divulgentur, Veneris vorat acta maritus.
Tullius affirmet ſublimi opere officiorum,
Optio ſi detur, tauro aut mugire Perilli,
Aut falſo affari, deſumpto numine teſte,
Quod non vidiſti; pœnas quaſcunque ferendas,

Ne

Ne ſis perjurus, ne à te lædatur honeſtum:
Ventoſi hi templi excedunt ſacra culmina ſenſus;
Sed Maſſa, & Carus jurant, & Regulus ipſe.
Regibus hos ergo contingit ſi eſſe miniſtros,
Jus contra errarent parcendo ſenilibus annis.
Hæc mea, Sinibalde, fuit ſententia ſemper;
Iccirco quoties ſervos habuere fideles
Fluctibus adverſis, aut conſpexere ruentes,
Cur ultra expectant, cur non ſunt Ennoſigæi?
Cur patiuntur eos majores frangere piſces,
Quorum dente obeunt pejus quam peſtibus urbes?
Rex oleo effuſo ſacro capite ungitur, ergo [17]
Quod populi ſpectat pacis vigilare ſequeſtrum,
Et mentes Charitum replere ex munere cœli,
Ille docet liquor, ut placeat Clementia, turbam
Quæ relliquarum ducit grandæva ſororum;
Lumen alit, recta unde ſibi via demonſtratur,
Atque ſuis; ne quis declinet, ſi ulla feratur
Errore, aut vitio juſtis ſententia abhorrens.
Lex ille, ut vivens appellatur; medicina
Peccantes purget, non ſolum corporis omnes
Humores, aſt & tergat, quod putrida membra
Fætoris retinent: ſervet, foveat, regat artus
Inque ſuo jubare hic conſiſtent, atque colore,
Hac ope; ſin minus à regnis bona cuncta peribunt.
Bini agnos lacerare lupi, matreſque vorare [18]
Aſſuerant; damno cupiens ſuccurrere paſtor,
Inſtituit reperire novem & nutrire moloſſos,
Millis munitos turgentia murice colla:

17 Sunt verba ſacri Doctoris carminibus aptata.

18 Hæc fabella facete ab auctore conſcripta, partim proprio Marte excogitata, partim ab antiquioribus deducta; indicat aliquando adhiberi remedia periculoſiora morbis. At miſeræ oves ſemper debent ferre, & raro exquiritur pro earum incolumitate remedium, quin redundet in earum perniciem, non quod deſit regibus pietas, prudentia, conſilium, ſed quod omnia ſpectare ipſi & curare nequeunt. Canes vero ad cuſtodiam ſelecti, ſunt ut plurimum canes, & mordendo putant clareſcere. Nos vero cogimur cum Horatio dicere:

Inultus ut flebo puer.

Hi pecus indignis adeo ſpatiis retinebant
Incluſum, ut quivis fieret jam morbidus agnus,
Quævis mater ovis ſterileſcens retibus arctis.
Nec ſatis id; ſeſe paſcebant carnis ovinæ
Eſcâ: ergo lactis nihil & lanæ Melibœo
Grex olim tantus reddendo, mortua pellis
Heu dolor! in fructu paſtoris conveniebat.
Menſibus exactis paucis numerum orſus ovilis
Colligere, ad vix dimidium ſumma omnis adibat.
Quin etiam vidit canibuſque cibaria danda,
Paſtorumque caſis nec frumentum, nec orizam
Sufficere, atque aliquid mercedis nomine poſci;
Nec tamen eſſe procul fures, prædaſque frequentes
Convectare lupos; obniti plurima fruſtra:
Dum majus damnum Molitor, latranſque Lyciſca,
Atque canes reliqui cauſantur, quam lupus ipſe.
Incertus paſtor premit altum corde dolorem,
Atque animum dubium nunc huc, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias; tum talia profert.
Ad pecus hoc ſpectat; meritò pecus ergo loquatur;
Quis ſciat, an miſeris ovibus ſint pharmaca prompta?
Hæc igitur fata eſt pro cunctis una perorans;
Morſibus aſſuetæ pecudes vixere luporum
Semper, & antiquum didicit natura laborem [19]
Ferre: grave haud quicquam primis quod habetur ab annis.
Unum nos lædit, patimurque hoc prorſus acerbe,
Quod feſſis cupiens noſtris ſuccurrere rebus,
Legeris ipſe canes verè, cuſtodia quorum
Nil juvat in reliquo, niſi quod perdatur ovile.

Hinc

19 Quem laborem natura didicit ferre, fieri uſu leviorem. Senecæ moralis ſententia eſt; at in Politicis Cornelii Taciti, & Nicolai inter præcepta recenſetur. Iccirco pedagia jam ſolita nullas commovent turbas, ſi exigantur quamvis aliquando gravia & vix ferenda videantur, at nova quæque vel levia ſunt magnis motibus apta, ut in Belgis factum Famianus, & Bentivolus narrant, & in Politicis Lipſius recenſet.

Hinc prodeſſe putans, domino facis hic jam pro uno, 20
Qui prius adſtabat, præeſſe novemque decemque:
Si numerare cupis nos propterea; è grege tanto,
Qui montis latera, & qui texerat ante cacumen,
Relliquias laceras, ſteriles, mancaſque videbis.

20 Pro uno novem Domini quid faciant jam videmus. Pendetque ex illa celebri Quæſtione an Monarchia præſtet cæteris generibus dominandi. Tacitus aſſeruit unum eſſe Imperii corpus, atque unius animo regendum.

Ab

SATYRA SEXTA

Ad Illuſtriſſimum Dominum

FRANSISCVM REDI

Patricium Aretinum.

OCCASIONE *verſionis Hetruſcæ ſatyrarum Juvenalis multa mibi Latina in mente repoſita, præbuerunt anſam tentandi hoc genus Poëſeos. Propoſitum tamen primo fuit nullius famam, vel bonum nomen lædere; ſed, quia ſermo iſte ſaltem ridendo amat mordere, difficilem me provinciam tractandam ſuſcepiſſe cognovi. Quadam iccirco carpſi leviter vitia nominibus utens aut fictis, aut antiquorum. An hoc videatur ferendum, & legem mibi præfinitam non ſim prætergreſſus, te judicem poſco, cui ſextam nuncupavi, & cujus verba veneror inſtar folii Sibyllini. Reliquas ejuſdem ſaporis arbitrare, & ſcias earum exitum à tuo pendere arbitrio. Quare tibi, ut Pliniane loquar, Homerici Jovis jus tribuo, cum vitam dare poſſis, ſi annuas, auferre, ſi abnuas. Rationem ſimul otii mei ſic reddo. Tu aliquid temporis ſeverioribus ſtudiis furare, ut mibi, quo amiciorem habes neminem, conſulas, & memento hortatorem fuiſſe, ut aliquid Latine ſcriberem. Vale tibi, vale mihi, vale bonis omnibus.*

Nonis Auguſti 1693.

Videatur Agellius lib. XIII. c. X. ubi hos Afranii verſus in togata, cui nomen Sillæ eſt, ſcribit

Uſus me genuit, mater peperit Memoria
Σοφιαν vocant me Graii, vos ſapientiam.

& Pacuvii ſimiliter laudibus divinis commendat hoc carmen ex Macedonis Philoſophi approbatione.

Ego odi homines ignava opera, & Philoſopha ſententia.

Dum

Dum lego, quæ ſtudio, & curâ complexus in unum
Edis, amice REDI, pertentant gaudia pectus,
Et ſimul ipſe mihi lætor, ſimul & tibi plaudo.
Si tua det veniam, quæ corde modeſtia manſit
Semper in ingenuo, dicam, quod Plinius alter
In te Aretina vivit, ſed cautior urbe;
Nobilis, officiis plenus, veri unus amator,
Inter præclaros, quibus eſt ſua gloria terris.
Sunt hodie quidam medicorum nomine vappæ,
Grande ſupercilium Tanaquili qui referentes, [1]
Clyſteris methodum rectam nondum didicerunt.
Sunt alii manes apti turbare ſepultos,
Pharmaca dum veteri diſponunt nata Saturno
Noſtrati & Jano, quem nulla Ciconia pinſat, [2]
Quum nondum monſtravit iter, refluique cruoris
Circuitum Anatomiæ lumen, ferrumque, manuſque; [3]
Nec minus in vitio eſt Bocchus, qui ſanguine venas [4]
Ægrorum vacuat, deducit purpureamque
Inde animam, gelido premitur dum mortis ab enſe,
Aut prohibet lymphis refici, qui Tantalus ipſe
Aruit infelix, dum febris dicitur ignis.
Hæc, dicent, ſcripſit Galenus, & hæc favitorum
Turba; quidem fateor: ſed forſan more columnas
Herculis hi poſuere, nec ultra progrediendum?
Hoc abſit: menſis ficut non utimur ipſis,
Queis Fabii, victu aſſueti, & frugalibus eſcis;

Sic

ADNOTATIONES.

1. Tanaquil Faber eo ob ſuam ſcientiam devenit, ut etiam reprehendat Ciceronem. Non exquiro an jure merito hoc faciat; ſed tantummodo id innuo; nam & noſtris temporibus audivi Medicos, ne quidem primi nominis, operæ vituperantes Ariſtotelem, Galenum, Avicennam, & alios Græcos, & Arabes, quorum verba non intelligunt.

2. Noſtrati Jano. Jam Aretini appellantur Janigenæ, & Aretia dicta fuit à nomine uxoris ejuſdem.

3. Anatomiæ duo Pyrrhichios pro dactylo, ut facit Juvenalis.

4. Bocchus nomen Regis Mauritaniæ, ſed hic ſumitur pro quodam Medicaſtro ſic dicto à labiis inflatis. Hetruſce Boccone.

Sic Bebiis adhibenda alia eſt hoc tempore cura, [5]
Quos cœnæ affecit repletio, quos vini hauſtus,
Unde laborabunt Fernelius, aut Paracelſus,
Democriti & rurſum tentantes omnia ſenſu.
Cætera mittantur; primisne videtur honeſtum,
Guidorum quidquam tetrum, fuliginis inſtar,
Aut atramenti guſtu componere abhorrens?
Dat caligis formam mitriſque Lutetia crebris
Uſibus, unde macræ tibiæ; vel clauditur alpha.
Ecquis Tarquinij laudet thoraca vetuſtis
Structum lemniſcis, quis braccas Polydamantis?
Addiſci res eſt vulgatum ſole magiſtro;
Quottidie fieri nam quis ſolet arte peritus,
Si modo Bettino haud vivat dementior ipſo. [6]
Et fortaſſe fuit primum productior ætas,
Ut Noe tot ſæclis oculatus plura videre,
Plura docere ſuos poſſet ſervare nepotes,
Nec puer omnino ſemper foret inſcius orbis,
Sed labor, & cultus efferrent tempore fructum.
Credimus, ut ſtellas numerare mathematicas per
Æthereos campos novit ſenſim, & dare nomen
Edidicit, ſic & terris prius abdita lucem
Non videant, naturaque pareat aut herbarum,
Aut ignota metallorum? ſublime tuliſſe
Os homini magni rectorem, ſcimus, Olympi,
Et cœlum juſſiſſe tueri; qui tamen eſſe
Vejenton nolit, potis eſt quoque cernere campos,
Atque ita temporibus congeſta ſcientia creſcat
Multum, proſpiciens quæ terris ingenerantur,
Et facile inventis cum ſit ſuper addere quicquam,
Melampus veniet perfectus, Phylliridesque [7]

Au-

5. Fabii ſunt nobiles antiqui & de eorum frugalitate videatur T. Livius, & Valerius Maximus. Bebii autem ſunt recentiores nobiles. Euſebii dicti, quoniam die feſto S. Euſebii ſunt nati, vel quia bonam vitam idque ſplendidam, & deliciosam degunt.

6. Bettinus quidam ſuum nomen non recordabatur.

7. Melampus, & Chiron ſunt Medicorum vetuſtiſſimi, at Ciſalpi-

Auctior, & noſtro ſtaret ſi Epidaurius ævo,
Sive Ciſalpinus, tua quo medicina ſuperbit,
Ad noſtræ pondus poſuiſſet pharmaca cænæ.
Et proavos ſuperaſſe modum, menſiſque gravatos,
Audio; congeſtum precioſi quicquid haberent
Æquora, mons amnes; rhombum mullumque, pygarumque
Emptos inviſa ſumma æris, quam gula fervens
Exhibuit, numerans paribus ſeſtertia libris
Millia, ſumma coquis hinc & fartoribus aucta
Romulidis penus eſt: ſolvas Aloedius inquit,
Africa tota boves, poſitoque ligone quieſcas,
Tuberibus noſtras modo dites provida menſas,
In lucem & ſapiant Andri deducere cœnas;
Si ſatis ars, Cous vetulus quam evexit, Apicis
Jam fuit, hæc eadem cur non purgabit abunde
[8] Matthæum, tumidam ſatis & non proluet alvum?
Reſpondere jubet; quod vis non permanet æqua
Corporibus, forſan cuſtodia priſca receſſit,
Et forſan virtus lotis non ſuppetit herbis,
An pluviæ id faciant, aut id circumfluus aër,
Aut Phyſicis etiam fit curta ſcientia rerum
Quottidie magis, unde venit cognatio fallax
Pharmacopolarum, crepera vel fraude medentum.
Hinc mediis Cynicus laterna ardente diebus
Quærere per plateas hominem, per compita poſſet,
Ac reperire unum tanto vix nomine dignum.
Ergo Stagiritæ, calamo, vel ſcripta ſecundi
Hiſtoria eſt fruſtra, quæ animantes interiores
Oſtendat, momi fieri quod vota petebant.
Diſplicet uſque labor, vita eſt brevis, ars prolixa,
Difficile Arnanis penetrare in viſcera ferro.[9]
Hinc iter explorare aliud placet, ac breviore

Tra-

ſalpinus Aretinus doctiſſimus Medicus ſuperioris ævi, qui dictus fuit alter Hippocrates.

8. Matthæus fuit quidam in arte manducandi ſatis notus, & hic ponitur exempli gratia.

9. Arnani dicuntur Hetruſci ab Arno, & erat Arnana legio.

Tramite mox certis veſtigia figere plantis
Ætati extremæ, ſenior qua mundus abibit,
Et procul à methodo, priſcaque juvare ſophia.
Inde vocare ſuos Academia reſpuit Anglos.
Sin aliquid reperiſſe novi monſtraſſeque jactent;
Sic vitio datur induſtris doctuſque Galenus,
Et Peripateticus legitur cum ſcommate Princeps,
Quem plures ſatis haud callent, vel non bene ſenſus
Educunt, prudens quos balatronibus abdit.
Non placet è Cynicôn mordaci gente videri;
At quis conceptum cohibere poteſt ſermonem?
Mos abiit, triſti quum quælibet ore neceſſe
Verba fuit mordere prius, quam miſſa volarent;
Et venia eſt dictis, & aperto vivere voto
Nunc licitum: Dominus nam regnat moribus albis,
Cujus cenſura eſt virtus, cenſore nec ullo
[10] Indiget. Hydropotæ hinc veniunt, quicquid placet, & quod
Haud antiqua ſciunt veterum præcepta, capeſſunt.
Res ſolvit labor, inquirens ſibi ſemina prima
Sulphuris atque ſalis, fugientis Mercuriique;
Ex Indis herbas arceſſit; ditia perdit
Pondera gemmarum, rurſus lacrumæque liqueſcunt
Auroræ, & globulis ſpiſſata corallia rubris.
Quare, ut jam Solymas Tito cogente rebelles [11]
Obſidione gravi, prolapſos urbis Apellas
Ex miſeræ muris capiebat miles, ut aurum
Stercore colligeret de fuſo; ſic pretioſos
Merdarum cumulos poſſent excrere Diauli,
Et forſan lapides, ditemque expromere calcem.
Nam ſi caprarum, ipſe refers, in ventre repertas
Poſſe

10. Hydropotæ. Id eſt aquarum bibitores. Sic etiam vocat Philelphus. Bevilacqua.

11. Facete dictum, & ad deridendos eos Medicos, qui nacti divitem infirmum pretioſis medicamentis dum curant famam venantur. Hos Redius non probat, qui gemmis liquatis parum, aut nihil virtutis tribuit, vel quia ad loca affecta non penetrant, vel quia parva quantitas non eſt ſufficiens.

Poſſe petras morbos arcere, ſalubribus herbis
Quod fuerant paſtæ, quas tellus Mexica gignit;
Cur non, gemmarum foveant ſi noſtra liquorem
Inteſtina, citæ haud fundentur homæomeniæ,
Quas Natura queat rurſus componere, clauſas
Intra hominem, & tandem prægnanti emittere ab alvo;
Mingere ſi poſſunt nardinis Tullia potis
Et Maura unguentis veſica ac inguine odorem?
Felices animæ, quas noſtra in ſæcula mitti
Contigit, atrato quum ſudat corpore Geber,
Atque inſperatum profert quandoque laboris
Aſſidui fructum! Levius de palmite nutrit
Vinifero foculos Cebalinus, & inſtat anhelus, [12]
Vis eadem ut maneat ſemper, nec flammula creſcat
Momentis quamquam modicis, aut ulla remittat,
Et modo gibboſâ phialâ, modo vaſe retorto
Ex vitro, matula modo, Cruceoque figlino
Poſtremas claudit fæces, cineriſque favillas,
Et reddit, ſubigens res, ad primordia mundi.
Mollia conſiſtunt, ſpiſſantur inania, ſæpe
Dura fluunt disjecta, nigris commiſſa caminis,
Et Mars potatur, Citheræa, & Luna liqueſcunt;
Juppiter exſolvit durum caput; occidit & Sol.
Remigis in morem brumali tempore ſudat,
Infectus fumo, pallens, caligatus, amictu
Conſpicuus lacero; pingui ſtrictoque galero;
Vitrea cum ſubito crepitando cucurbita naſo
Fracta eſt oblongo, vel trulla, opus ac perit omne;
Hinc gravis ardeſcit tangens præcordia ſenſus,
Et, Cœlum incuſans, & quot ſunt numina Cœlo,
Cervicem digitis ſcalpit, relegitque jacentes
Relliquias cineri impoſitas, & murmure frendit;
Nec tamen hic finem labor improbus invenit: Ecce
Materiem reparat, cruceos, phialaſque reponit,

12. Cebalinus eſt nomen cujuſdam Chymici, qui hic pingitur, ejuſque natura obumbratur.

Venus, Luna, Mars, ſolum ſunt nomina, quæ à Chymicis tribuuntur metallis.

Prodigit omnimode exiguam rem, totaque nigrum
Indit morte domus peplum, nunquam caritura.
Sed veniam demus Menecratis ſorte ſuperbe [13]
Curanti Medico, ſimulachraque mille Scrapis
Delubro aſſurgant, totidem Podalirii in æde.
At quis, ſi ſapiat, defendet Curculiones,
Dum Bartellorum deglubunt fraude crumenas,
Prædonumque modo nituntur ſanguine venas
Ut vacuent utroque prius, poſt penſa reſolvant
Et vitas adimant, diuturnis febribus olim
Nutritas lucro, indigna Cyclopibus arte?
Sæpe ut Goretto pingues producere lites [14]
Mos eſt, & magnas extollit rabula voces;
Juppiter, ut ditum crebro diſcordia pectus
Sollicitet, precor, indulge, & per ſæcula duret:
Da cervicoſis, ut pugnent motibus, utque
Alternam in cladem deſudet dextera utrius,
Sic noſtris venient jam macris jura culinis,
Auratoque tibi mactabitur hoſtia cornu.
[15] Si Thomam inveniant, placeat cui nata phreneſis,
Vel bene cum valeat, verborum ferre querelas,
Ut notos nobis habuit Florentia quoſdam;
Tunc ſibi conveniunt Maurellius, ac Fabaterus,
Et curam inſtituunt ſenſim, lenteque levando
Morbo aptam, nunquam vere quæ deſinat, alvum
Alternis ſtimulant ducto clyſtere diebus;
Inde Damaſcenis ſuccedunt coctana prunis;
Sena levis tandem, vel caſſia, manna, & oriza,

Aſpi-

13. Menecrates medicus notiſſimus apud antiquos, de quo plura Plinius. Curculio vero jam notus ex dictis ſuperius.

14. Gorettus quidam fuit rabula, qui nunquam finem litibus apponebat, ſolitus dicere, ſe orare quotidie hoc modo; excita Domine diſcordias & lites inter divites, & potentes, & bene ſolventes in æternum duraturas.

15. Thomas iſte ſolus non fuit, qui ſe lamentabatur ægrotare, cum nihil morbi pateretur, ſed Maurellus, & Fabaterus ſunt nomina ficta medicorum, ſi hoc nomen merentur ejuſmodi latrones. Archigenes demum eſt nomen medici apud Martialem, hic pro Archiatro, ſeu Protomedico uſurpatur.

Aſpicitur ſemper, ſemper ſuccurritur ægro,
Seu Sol occumbat, ſive exoriatur ab Indis,
Maurellique manus ſemper ſcutata reportat,
Inſuper & Capo, ſatius ſibi quem foret eſſe,
Et quæ deſpumant cyathis, ſaliuntque Falerna;
Munus eunt, læti Archigenis quo cœna propinet;
Et quoniam arridet genio, qui ſponte laborat,
Abſtineat, jubet, ille cibo, ſervetque diætam;
[16] Nunc chalybe armetur Bacchus pugnator in extis;
Ut pigro obſtructas oppugnet ſanguine venas,
Inceſſuque gravi tot paſſus permeet æger,
[17] Σκατοφάγυ indulſit moroſi cura quot auro.
Molitur ſemel inſidias latro, vel petit enſe
Rarius; at nullis ceſſat truculentior horis
Nocte intempeſta, medium dum Sol tenet orbem;
Aggreditur, ſpoliat Taſſos, deglubit Orodes. [18]
Sæpe trium, aut quatuor coeunt collegia, poſcit
Nam verè extremus, verè aſper plurima morbus,
Atque hinc, atque hinc eſt ſententia ſciſſa Sophorum
[19] Symmachus exclamat; Domini, famoſa cavete
Hactenus, infami ne pharmaca noſtra notentur
Nomine; nec proſint, quæ ſemper prompta juvare
Sunt habita: Eurillus pereat, quid ſpectat ad artem?
Ad nos quid probri? ſatis eſt quod fata canamus.
Laudatur; quoniam grandi comitante caterva
Venit & ægrotum dextræ tetigere clientum;
Inde gelu eſt exorta febris; male cœpit habere.
Nunc quibus inſecter verbis turbas Chelydronum, [20]

 Qui

16. Sunt valde uſitata quædam medicata vina cum limato chalybe, vel aliis mixturis: ſi proſint, ſciunt infirmi.

17. Σκατοφάγος eſt nomen medici apud Ariſtophanem, ſed nimis moroſi in ſuis ordinationibus, ut dicunt, nomen eſt à σκατόν.

18. Craſſus & Orodes ſunt nomina antiqua duorum maxime locupletum.

19. Symmachus nomen Medici apud Martialem, qui caterva diſcipulorum comitante ad infirmos ingrediebatur. Et factum hoc accidit Cremonæ, ut mihi narravit doctiſſimus Joannes Franciſcus Rota, de quo in Satyra Octava.

20. Chelydrones vocantur quidam vagantes per urbes & villas

Qui villæ morbos curant empirice & urbes?
Heu quoties fallunt! quoties per dulcia lactant
Verba crumeniſecæ! luſcus ſi forte laboret
Nicander, ſpes geſtatur ſecura ſalutis;
Theſſalus acceſſit; volat ingens fama per omnes;
Sin minus occurrit, Cynicus grex, oſtia pulſans
Grex, eſcam quærens, & qui ſecreta domorum
Indicat, admonuit, cœli ſibi munere ſartam
Tunc promittit opem, certam, ſubitam, atque paratam,
Et quamvis tritæ caligæ ſint, pænula ſciſſa,
Et vix perones ſuſtentet tibia, ſordes
Inficiant malas, caput & pedor pedicoſum,
Gallorum Regem jactant curaſſe, Mogoris
Obſcænos Magni ficos vulſiſſe; Quid ultra?
Copia verborum tanta eſt; Promiſſor hiatum
Expandit tantum, ſtata ut mercede periclis,
Ex oculis grandes ſe educturum cataractas,
Spondeat, atque arrhas contrectet: Tempore in ipſo
Aufugit expilans commiſſas impiger ædes;
Hinc miſer ægrotus reliquo lucis ſpoliatus,
Fert baculo innixus vitam, nutatque proſeuchis.
Veſica ex ipſa lapides convellere Phædrus, [21]
Spondet poſſe manu, ſed quamquam proſpera ſit ſors
Interdum, certe eſt ars hæc laniena virorum;
Forcipe enim primo non carpitur orbita niſu,
Fragmina vel deſunt, remanet vel cruſtula circum,
Et dolor augetur, ventoque in viſcera clauſo,
Ut veneroſus obit, ſcroto & turgente necatur.
Protrahitur tempus quandoque, & lucra feruntur
Interea, quod jam cuidam de gente vetuſta

Craſſi

las nomine medicorum, ex quibus unus Nicandrum cæcutientem omnino ſuis remediis orbum effecit.

21. Phædrus eſt quidam, qui artem periculoſiſſimam exercet vellendi lapidem è veſica & narratur caſus Patricii cujuſdam Piſani de Veneroſis, qui poſt longam ægritudinem interiit, & de quodam de Graſſis, qui conſumptus miſerabiliter fuit, dum lapis exquiritur, nec invenitur Florentiæ. Accaraboni eſt quidam exercens eam artem, ſatis peritus, ſed tamen non ſemper felix, niſi in captanda laboris ſui mercede ampla, quicquid eveniat.

Craſſi Sullana factum narratur in urbe.
Sic mola piſtrini lapis ille evadit avaris
Pyrrhonis ſociis, teriturque farina dietim,
Dum lentâ efficitur macie conſumptus, equeſtri
Fortuna inſignis Mœcenas. Rebus inane
Oh quantum in noſtris! Incerta pericula tentat
Corpore in humano Caldanus, truncat, & urit
Et ſecat, expertus quî fiat. Damna, ruinæ [22]
Scire ſuum pariunt, pretiumque rependimus ultro
Carnifici, gabalos in nos dum frangit & uncos.
Tam parvi vita eſt igitur cenſenda virorum,
Ut committatur non certis Accaraboni
In manibus laceranda? nec ullis parcitur auri
Sumptibus, & clari fundendi ſanguinis! oh nos
Jam viles animas! mediam pertundite venam,
O medici medici; turbat dementia cives,
Multiſque, ut valeant, vitam diſrumpere gratum eſt.
Sed pejus Vaccæus, Hydrops oriatur ab udo, [23]
Dum putat, auxiliis ſiccantibus utitur: Ecce
A Siculis affert matheſin Borellius oris,
Atque hepati exuſto hoc tribuit; nam ſanguine cocto,
Stare neceſſe fuit maſſam, dum perfluit ὕδωρ.
Sic prodeſſe parat ſuccis humentibus, atque
Subtenui victu, nigrarum poſt aſinarum
Lacte, boumque ſtato proponit tempore potum.
Fuſilibus Themiſon fidit, nec parcit avarus [24]
Pæoniis ſalibus, decoctis experimentis,
Extremoque extrema jubet dare pharmaca morbo.
Sed nihil hæc precioſa juvant, aut ipſa levatur
Effigies externa mali, phtiſicuſque videtur,

 Qui

22. Caldanus pro chirurgo ſævo, qui cum dolores infirmi non ſentiat, ridens ſecat, & urit. Hunc novimus omnes, etſi mutato nomine.

23. De hydrope varia medicorum ſententia, ſed raro ſanatur juxta opinionem Capi Vaccæi, & diverſam Borelli Mathematicorum Coryphæi.

24. Themiſon nomen antiqui medici ponitur pro amatoribus ſalium. Deus ſcit quo exitu. Sic plura nomina adjunguntur partim vera, & partim confiçta, ſed veris veriora ab effectu.

Qui dudum inflatum porrexit aqualiculum, qui
Tympani adinſtar erat, componens crura columnis.
Effertur, nec longa mora eſt, ſuper oſſa recumbens
Ad tumulum pellis, Balbique querela crepat, ſi
Præſcriptam ſibi ſervaſſet pro viribus ipſe
Normam, ſanus erat, validuſque; en vulnera telis
Facta ſuis patitur, voluit qui ſponte perire.
Hic mos eſt medicis, fuerat qui cauſidicorum
Feſſidio Piſis: omnes cauſſas, quot agebat, [25]
Pro ſe Prætores ſemper ſenſiſſe marinos;
Et vera ajebat; quævis ſententia torſit
Namque adverſa illum, qui alieno litigat ore.
Lanam ſive pilos carpit ſibi Cardus, ubique
Contingat, morbis contraria pharmaca ſcribi,
Aut cœli, aut victus culpa eſt, ſi labitur æger.
Quis damnat Judex, aut quale tribunal inique,
Contra præſcriptum nulla ratione parantes?
E vivis abiit Codrus: nam ſpicula mortis
Eſt nullus clypeus, poſſit qui umbone, vel orbe
Arcere, & lex naſcenti ſtat ſcripta ſub ipſis
Pellibus, involvunt quæ infantis membra puſilli.
Ergo quam vulgus vitam vocat, eſſe fatetur
Annæus longum interitum, cumulumque malorum.
Quod primò eſt dictum, repetatur: maximus artis
Adjutor medicæ Bellinus, ſæpe figuras [26]
Qui tentans diſcit, rerumque in viſcera tendit,
Dextra ſinus penituſque videt, quæritque, docetque,
Dum ferro conjuncta ſecat, rimatur, & effert,
Quæ latuere, vias, dudum quibus eſt erratum.
Tolle hoc. Ecquidnam prodeſſet, quod nova Memphis,
Quod

25. Feſſidius eſt hic pro Cauſidico verboſiore, & glorioſo, qui apud Conſules maris jactitabar, ſemper ſe victorem fuiſſe: quod cum veris conſonum non eſſet, interpretabantur alii, viciſſe pro ſe, non pro Clientulis; ſemper enim mercedem accipiebat.

26. Laurentius Bellinus Anatomicus, & Medicus, quem honoris gratia Auctor nominar, tanquam ornamentum ingens noſtri ſæculi. Plura alia relinquuntur ab ipſo lectore interpretanda ſuo arbitratu. Cæterum quæ de ſcientia ipſius Franciſci Redi aſſeruntur, ſunt minora veris: de quo veniam ab ipſo petimus.

Quod Jarbæ tellus, quod mitteret India nigris
Ex oris bulbos, non viſa & ſemina florum.
Quid tot de variis collegia partibus una
Jungere, & in medium ſpectata afferre cuique?
Quæ ſunt ſcripta, manent; abſumit cætera tempus
Orta, aut lethæi demergit gurgitis undâ.
Quod ſi quiſque virûm calamo parſiſſet hiante,
Regula nulla foret condendi pharmaca, nec tu
Sudaſſes librum, methodumque daturus Hetruſcis
Telephum & hæc iterum perſtringat Pelias haſta,
Ferre quis affirmet talem haſtam poſſe ſalutem?
Impatienſque ſui contingat nubila queſtus,
Ut Sophocles narrat non æqua voce Tragœdo,
Quin præſens longum minuat rubigo dolorem.
Fama volat, duplici deſerto ſidere, Majæ
Filius ad patulam camporum pergeret herbam,
Ductus amore; quis hoc committi poſſe putaſſet,
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine portæ
Horto ni legeret Piſis epigramma Botanes?
Sic tuus ille liber, ſignat cui littera nomen,
Vipeream pandit naturam, pandit & omne
Virus, ubi maneat, qua poſſit & arte levari;
Denique pandit iter vigilanti, luminis inſtar.
Quod ſi contemplor de Inſectis poſteritati
Quæ commiſiſti; gemino de fronte lacertæ,
Aut Indo miris de rebus littore natis,
Delectant ſimul atque docent hæc ſcripta diſerte,
Cernuntur Thuſcè Tullus, Varroque loquentes,
Nec facundia deſerit hos, nec lucidus ordo,
Nec quæ Democritos comitatur, quæque Platonas
Demonſtrans oculis optata ſcientia verum:
Unde nihil dubii remanet, nihil uſque petendum.
Nec jam decipiunt vendentes mira Braſilis,
Vendentes Congi nugas, oſtentaque Pendæ.
Aurea cognoſco Boccacci ſæcla, ſtylumque
Ornatum, preſſumque ſimul, formâque ſuperbum
Nativâ, nihil exoticum, tumidumque, novumque

Quærere, & inſolitum; quod vix faciunt duo, vel tres.
At redeo ad medici ſermonem, propoſitumque.
Nil peccat luſcus ſi fert nova, viſaque nuper.
Sed vellem ambiguus ſtaret, timiduſque pericli,
Donec facta fides; trepida experientia fibris
Accedat, præbenſque manum bene duceret, atque
Flecteret Ambraciis qui dudum enavit, Ulyſſen,
Fluctibus, & ſcopulis, circumque erroribus actum.
Tunc felix alios impelleret exitus, & tunc
Indomitam ſatiare novorum auderet orexin.
Si ſecus id fiat, vel cæcus flectere poſſet
Spicula, & ad medium quandoque affigeret album.
Ergo hoc artis opus foret? eſt laudandus & ille
Eurito melior? Teucrumque & Mneſthea vincet?
Non tuta admitti deberent pharmarca Borri,
Deſperata ſalus æger quum effertur, & adſtant
Pollinctor, veſpillo, faces, & triſte feretrum.
Sic quando primum ſtibii data potio, viſum
Ex Stygiis ducta hæc veniſſe inventa cavernis;
Nunc vero edoctis monſtravit gentibus uſus
Quid valeat, quænam tradenda eſt portio, nulli
Contemnenda Galeno, jam medicina tenetur.
Fallaces hominum ſenſus! Apulejus in albam
Mutari cenſebat avem, ſed factus Aſellus
Ingemuit, priſcamque roſis reparare figuram,
Perpeſſus potuit vix multos ante labores.
Quot ſimiles illi, pennas tractare putantes,
Vertit in auritos Onagros fortuna ſonoros!
Munia multa tulit; fuit addita ſarcina dorſo;
Tum ſponſa impoſita, & greſſu ivit quadrupedante,
Poſtremo eſt juſſus piſtrini invertere molem.
Interea magnas diffuſa it fama per urbes,
Quod ſuperans Aſini naturam, ludere mille
Ipſe modis novit, factumque Canem Melitenſem,
Delicias inter matrona excepit, amore
Capta, ut Paſiphaës Tauri, lectumque jugalem
Miſcuit; ac tandem formam reparare virilem
Non ſolum potuit, ſed ſublimis, celebriſque In-

Increbuit. Quem non delectet fabula? riſum
Sæpius excivit commentum. Mira videntur
Aurea dicta, librum laudes & baſia lambunt;
Quamvis non dubitem, tali ſub cortice ſuccum
Abdi, ut ſublimes doceat narratio cives,
Quod nulli detur Magnatum gratia in aulis,
Qui non deſipiat verax Euphormio factus;
Sed ſimulant quidam ſe bardos mente ſagaces,
Ut fallant, & cuncta pati, ferre omnia prompti;
Donec perveniant quoquo mens improba tendit.
Iſidos imponant quianam ſimulachra gerenda,
Atque Aſino genibus curventur prætereuntes,
Non patet, ac mentem varie ſententia torquet.
Indicat hoc forſan, vulgi reverentia prono
Quod fluat obſequio in gentem, quæ relligionem
Oſtentans oculis, externe proferat, & nil
Nil inquam, pendat, Brutum, & quidquid ſit, haberi;
His Populi flectunt humili ſe poplite; nec non
Ut magis alliciant, ſpectabilis hiantina veſtit
Sæpius, & Tyrio bis merſa in murice lana.
Sic craſſa aſſurgit, ſic ignorantia fulget,
Et qui nil ſapiunt, nullis ſunt rebus agendis
Corde pares, celſa contingunt ſidera fronte.
Non tamen exigitur præſens narratio noſtro
Themate; miſſam igitur faciamus. Sufficit unum
Scire, quod ex undis Inferni gurgitis iſta
Ni ſcriptore forent à ſacro educta, lateret
Ex Aſinis rerum dominos, gentemque togatam
Poſſe Cyros reddi, præſtant ubi ſerta roſarum
Purpureum decus, & ſubitum dant oſtra colorem.
Ergo opus eſt, ſcribat, quiſquis ſortitur amicam
Melpomenen naſcens, utatur teque magiſtro,
Qui multa, & docte, & facunditer, & nova prorſus
Æmula contendat quamvis hoc invidiæ vis,
Donaſti Hetruſcis. Conſumunt tempora namque
Omnia: Succedit mors, longa oblivia potant
Res geſtæ, calamus niſi digna perennet, & ornet.

FRANCISCVS REDIVS

Arguto ſuo ſalutem.

N*i me fallat Amor , qui cœcus pingitur , tua cum antiquioribus comparata nihil eis concedunt. Gaudeo mihi , tibi gratulor , noſtraque urbi. Tibi gratias ago , & habeo. Tu proſequere , meque redamantem ama. Vale mea dimidium anima. Vale.*

Ad Excellentiſſimum , & Clariſſimum

DOMINVM

JOANNEM FRANCISCVM

BONOMI

Bononienſem Poëtam Eximium.

SEMPER *ego , te ſequutus Auctorem , Hetruſci Latinique carminis ſtudio flagravi , & quamvis Italos videam pluris facere lingua ſua loqventes , quam mortuorum verba mutantes , tamen hoc Europæ omni commune idioma nullatenus prætermiſi. Quare jam ſenio preſſus Italis donare Camenis nixus ſum felici exitu Juvenalem , neque hoc contentus , imitari jam volui. Sexdecim itaque Satyras conſcripſi , quarum ſeptimam tuo nomine claram effeci. Mitto ad te non modo legendam , ſed corrigendam. Mitto ad alterum me , ſed magnum , aut pulchrum , nam utrumque per ſyllabam Bonomi video antiquos intellexiſſe. Si Nomium aut Magnum , aut Bellum feceris , Bonomium feceris. Acutiori ergo ſtylo , te rogo utere in Cenſura hujus mei operis , & Vale.*

Calendis Sextilis 1693.

De

De Pediſſequarum Pravitate
SATYRA SEPTIMA.

Care mihi ante alios, titulis venerande Bonomi,
Tot tantiſque, diſerte ſimul, ſimul inclite, verſu
Scribere quo lubeat, Thuſcis, numeriſque Latinis;
Aurea Saturni puto felix iverit ætas,
Et fugiens Gnatum, Jani quà venit ad oras;
Non quod lactis erant fontes & flumina puri,
Non quod ſponte cava ſtillabant ilice mella;
Sed quoniam gentes elata ſuperbia nondum
Vexabat, vitioque dabatur, velle videri.
Non Baſſus verrebat humum, dum pergeret amplo [1]
Demiſſus, referens de Mœcenate ſupino,
Syrmate; non contra fungino more patentes
Suras, & graciles Pipulus cingebat ad inguen. [2]
Tempora deterius quid non converſa tulere?
Quid fugiunt homines ſibi damna, incomoda, queſtus,
Dum quærunt ſtulti, vitia ut palpent aliena.
Hunc veſtes ultro lacerant in fruſta ſecantes;
Sic hiſpaniſſant, capulo ſic pugio prodit;
Tum ſi quid fracti ferrent, decus omne periret,
Et generi Gallo, fieretque injuria genti
Cecropidarum, ſi inde exit cum ſtemmate bulbus.
Calceus ipſe minor pedibus tangebat in arctum.
Jam terras punctum, patula nunc ſignat arenam
Incedens planta, ne ſit ſatis Appia binis,
Et ſi progenies coleret reparata Gigantum
Hos iterum montes, veſtiret forma Typhœum.
Occipiti impoſitam geſtantes vidimus olim
Crinali umbellam Auſonios, tantamque ferendo

Vix

ADNOTATIONES.

1 Baſſus eſt nomen ab Hetruſco nomine factum, & ſignificat humili loco natum ſuperbientem.

2 Pipulus eſt deſumptus ab Apulejo, & Plauto, & ſignificat hominem qui pipulat, eoque modo queritur, cum alioqui ſit dives, ideoque avaritiæ cauſa braccas curtas gerat.

Vix molem cervix poſſet ſupplere bovina.
Non ſolis radii contingent, haud mora, recti,
Tam brevis eveniet vel parmâ, vel minor ipſis
Penteſilea furens, quas geſſit in agmine, peltis
Brachia nudavit mulier, ſua pectora mammis
Suffultis zonâ oſtendit, vel ſæpe analemis,
Urſidio ut placeant, adjunctis, ſuppoſitiſque,
Ac Paridem moveant ad raptum more Lacænæ.
Forſan tempus erit, quo non monſtretur Ulyſſæ
Penelope, noſtræ ſi accedat cautior ætas,
Aut quæ prima fuit redeat ſi rurſus in orbem:
Non premet ordinibus tot, nec compagibus altum
Ornabit caput, & criſta, quæcunque puſilla eſt,
Exurget facta Andromache. Paulina Capilli
Tunc erit, ut quondam, conſultor rivulus, aut fons,
Errores ut compeſcens diſcriminet ulnâ,
Sudoreſque genis, & ſordes auferat ori
Unda fluens, vitia & reparet; non fila, vitrumque,
Dum pilos vellunt crucient, ſævoque paretur,
Non manſura diu muliebris forma dolore.
Illa ætas placuit nullis his artibus uſa,
Et facie contenta ivit, quam contulit olim
Vel natura potens, vel caſus, vel Deus auctor,
Et tamen intendit vultu ſua ſpicula agreſti
Fortis Amor, flammas habuerunt lumina, Faunos
Sylvanoſque rudes combuſſit vivida, glandes
Ructare aſperitas ſolita, & redimire viburnis
Cæſariem horridulè ſparſam per colla, per armos.
Blanditiis igitur ſpernens mulcere palatum,
Exoticiſque ſinum ferarum, Goſſipiniſque
Velleribus, Tyriaſque oſtro ſatiare lacernas,
Ut dorſo impoſitæ demonſtrent ſorte moleſtos;
Illa timens peccare ultro proceſſerat ætas,
Quæ contenta ſibi prompto minimo eſſe ſolebat,
Et ſedare famem quod inanis ſufficit alvi,
Caſtaneas, lactiſque cibum, rubicundaque fraga
Curabat, lævi his lautas in ceſpite menſas

Di-

Diſponens, lætabatur, quin Belga pararet,
Quin Longobardus coquus ad convivia Craſſis,
Quos Aquilo denſat, quos India gignit, odores,
Quos Gaurus mittit; nutrit quæ cinnama felix
Arabia, & Congus nova vel Braſilia regna.
Temporibus lætis abeuntibus, orba libido
Imperioſa fuit facta, & ſervire minores
Diis invitis juſſit adulta ſuperbia cornu
Porrecto, menſis nudato vertice Sporos
Adſtare ad nutus generoſo è ſanguine natos,
Vel diſco deſerre dapes, vel carpere miſſas.
Ruſtica, quid ſupra fiet? jam turba paravit,
Jam cerdo famulos, qui certis vina diebus
Diſponant pateris, geſtent, Dominiſque propinent.
Grata Falerna nihil biberent, aut Cæcuba ſi non
Pincerna auratis Ganymedes fundat ab ollis
Aut Aſiæ puer, & pretio majore paratus,
Quam mihi vel cenſus maneat, vel manſerit Anco,
Semiuir in primis ſi ſit, vocemque canoro
Hetruſcis tollat criſpatam gutture metris,
Mollia cui rupta abſciderit genitalia teſta;
Quapropter redeat, Sorgæ qui nomina fecit,
Si rurſus redeat Maro, vel Smyrnæus Homerus,
Divino oblectent cantu minus hoc Eunucho.
Fortunatus homo, tanti qui comparat Ilam,
Ut voto ſuperis pro illo ſe obſtringat, & oret?
Sed tamen à vitiis ſervorum non procul iſte
Herculeo vivet Domino; Conſcenderit orbem
Jam medium ſolis prius irrequieta quadriga,
Quam ſurgat, tenerum plumis linquendo cubile;
Tunc ſocios quæret, quibus & ſecreta domorum
Turpia, diſſidiumque grave, & communicet iras;
Si quid garritum cum conjuge, ſi quid apertum
Arcani, natis ſi quid crudeliter actum;
Si rebus parcis, vel ſi patrimonia fundis.
Et minus hoc eſſet, pariter niſi fingeret, & quæ
In mentem nuſquam venerunt, hæc loqueretur.

Ut

Ut data ſæpe fides thalami, & ſacra jura fatiſcant,
Certe quo falſis rumoribus impleat urbem,
Lingua canina ſolet ſpectari mancipiorum,
Atque in heros ſemper converti hoſtiliter ipſos.
Barbara Pyramidum ſileat miracula vates;
Eſt majus, Romæ quòd conjuratio ſervo [3]
Vindicio auctore in lucem prodiret, & inde
Nata ſalus populo, libertas inde parata,
Aut ſervata fuit moriens; nam more Gabrinæ
Coram Gerbino, quando foret utile verba
Efferre, Harpocratis ſacrata ſilentia regnant.
Antoni Orator vitaſſet forte miniſtros, [4]
Dum latet in ſylva, Domini niſi furta locutus
Diſcipulus quondam obſtaret; nec Thuria ſponſum
Celaſſet, famuli ſi, veſpillone latente,
Scrutari ſponſæ potuiſſent abdita ſenſa.
Bernius aſſeruit, quod nulla eſt fœmina, quæ ſit
Apta coire tenax ſecreti: ſed puto viles
Ruribus exortas ſignaſſe, meras nemorales:
Hæc gens, ſervitio noſtris aſſueta diebus,
Peſſima colluvies, fæx, & ſentina malarum eſt.
Ex numero delere bonas, vere excipiendas,
Vellem: ſed mulier quænam non peſſima vixit?
Præſertim plebe ex iſta de ſubere natâ?
[5] Utque mea incipiam à ſtrigula, quæ nomina jungit
Omnia, ſparſa quidem bene ſufficientia probris
Fœdare Aſſaraca natas de gente puellas,
Gracchorumque genus numerans in dote triumphos.
Auribus, atque oculis capta eſt, & non bene juncta,
Cruribus infirmis imitantibus oſſe columnas,

Ex-

3 De Vindicio ſervo meminit Titus Livius, & omnes Legulei in Tit. de libertate per vindictam.

4 Hiſtoria Ciceronis proditi à ſervo Diſcipulo, & Veſpillonis, qui fuit celatus ab uxore Turia eſt nota apud Livium, & Appianum Alexandrinum. Reperitur de hoc Tragicomœdia Joannis Andreæ Moniglia.

5 Non putet aliquis eſſe ficta, quæ de mea narrantur Pediſſequa. Sed credatur folium me recitaſſe Sibyllæ.

Extenſo ventre, & tumido in morem parituraram,
Omnia dum peragit clauda, at garrire perita,
Eloquio ut ſuperet Demoſthena, vel Ciceronem;
Eſt conſternaci, elatâ facie, infrunitâ,
Æternum corrugatâ; æternum aſpere acerbâ,
Piſtoris ritu, pugno glomerante farinæ
In paſtam maſſa, capiat niſi tota nigrorem:
In partem, ut Tacitus, trahit omnia deteriorem
Ex genii vitio, fingens dum rumpitur ira
Sardoum riſum; lingua non ditior ulla,
At nihil eſt cerebri vacuo in capite, anſeris inſtar;
Ingenio pravo tamen, ut gens Sarda, maloque
Neſcit habere modum, neſcit diſcrimina rerum.
Ergo tota domus ſi in flammas protinus iret,
Nec portaret aquas, nec ſupplex, numen adeſſet,
Poſceret auxilio. Contra quod poſtulat ordo,
Et ratio rerum, peragit; bonus advena noſtro
Si hoſpitio excipitur, feralis menſa paratur;
Nemo adſit, dapibus gaudet Saliaribus, atque
Poſtridie putat orbis terrarum fore finem.
Si iratus clames, modulatum carmina cenſet;
Progreditur cœptis meliora & jura fovere.
Contendit ſeſe, velut uxor ſit Nepetina: [6]
Immo errat nunquam, quod ſi peccaſſe patebit,
In me convertit culpas; ſum cauſa malorum,
Illa nihil poterat melius, quique ardet in iras,
Deſipit helleboro curandus; muſſitat, intra
Os frendit, ſpirant ut cæco murmure venti,
Aut olla effundens ſpumas, ubi concipit ignem:
Quæ fecit, laudat, putat & ſe margaris inſtar,
Et ſuperaſſe Sabam Reginam, treſque Sibyllas:
Sic quoties meditor reſponſa, præoccupat ipſa
Sermonem, loquiturque prius, quæcunque ſilere
Fert animus, vulgat, negat & quæ dicere vellem,
Senarum haud cedit Berenici, ſcommata vulgi

Di-

6 Uxores Nepeſinæ cenſentur pertinaciſſimæ; & forſan falſus eſt rumor iſte vulgi.

Diſperdit blaterans, ſpargit proverbia, quid non
Scit? quid non tentat? patefactis clunibus, & ſe
Sublimem attollens conſcendit dolia, vinum.
Sugit epiſtomio melius; ſic marcida cannæ
Fit tubulo, Moenas renovat tunc Orgia Bacchi,
Et vomit, & rurſus potat, rurſuſque carinam
Exonerat, donec ſtomachi faſtidia terrent;
Tunc rubicunda genas olida, & ſuſpiria ructans
Vinoſi imbuvii ſiquidem fecere diſertam,
Pellinæ ſimilis glaucas confundit Athenas.
Sed quod deterius, mœchos inquirit amantes
More Ghidellarum; vivendo parcius ægre
Si quid nummorum congeſſi, ſurripit; aufert
Et ſacris quidquid Charitas jam deſtinat aris,
Utque abigam cogit me inflictis calcibus ano.
Ne tamen hac aliquis fieri non deteriorem
Poſſe aliam ſtatuat. Rationis beſtia quæque
Eſt famularum expers: Diverſimode feritatem
Sed monſtrare ſuam gaudet. Criſpulla cubilis [7]
Stare parat ſocia, & compellat adhuc Aſcylton;
Quum te ſomnus habet, fiunt ſua tecta lupanar.
Quod fœcundam de furto perfida vulvam
Aſpiciat, tumidoque introrſum ventre loquatur
Te Patrem appellat, tota & vicinia garrit.
Hanc arcere potes: ſed quamvis ſanguine pœnas
Vel capite abſciſſo dare debeat, uſque tuetur,
Quod ſemel aſſeruit. Pater eſt, ſi concipit Agar,
Semper Abram, totum defertur fama per orbem:
Dum manet interea prægnanti ſic gravis alvo,
Inviſas ædes Domini, penetralia, quicquid
Vel penus abſcondit, vel cella, vel horrea claudunt,
Expilat, dandum latitanti munus Ocillo [8]
Et ſi vel mutis, ſubito culparis avarus,

Cul-

7 Criſpulla famula dicta à colere Capillorum, & ſuit talis vulgo la Roſſina.

8 Ocillus eſt amator famularum, ut erat quidam cognomine Cicero, quem ſuis furtis paſcebant certatim, ut novi.

Culparis nimium ſervator quiſquiliarum,
Culparis veteres quod complectaris alumnos,
Aut in conjunctos tibi ſanguine culpa recurrit;
Inter & agnatos ferit iras, diſſidiumque.
Addas ſi verbum, expectes ut torqueat aures
Vocibus indignis hæc deblaterando, loquaces
Ut Meſſanenſes evincat nominis atri.
Tangere ſi ſit opus veneranda altaria, jurat
Per Martis frameam, per Patris tela Tonantis
Se vidiſſe (locis & tempore circumſcriptis)
Res furto ablatas, & ſaltem ſuſpicionem
Ingenerat, ſaltem decreſcit amorque, fideſque.
Excitat ipſa domi poſtremo vocibus ignem,
Ignem, quo pereant alii, ſibi nil nociturum;
Nam Veneris ritu conſpurcat Adonide lectum.
9 Non ſatis eſt Pollæ dominari, ut ſponſa, maritum
Attrahit, & ſubolem numeroſam paſcere cælebs
Cogeris, hoc famulæ jubet arbitrium Reginæ:
Et quamvis ſenio jam jam defecerit ætas,
Nec ſolide valeas Cypriæ complere labores,
Si vultus referat quiſquam, vel ſi tibi mores
Perſimiles reddat, genitor Tithonus haberis,
Hiſtoriis nil ſuffragantibus, & Phyſicorum
Syllove giſmatibus, rationibus, Enthymemate;
Et quid Chlorinda exoreretur jam alba Parentum
Filia nigrorum nil prodeſt, nilque Georgi
Vult vulgus meminiſſe procax miracula Equeſtris;
Tunc uxor ſi ſcœva foret, precis, effugiique
Quo genere utendum famulæ, dominoque fuiſſet?
Sanctarum Sarai deſcripta tenetur in albo;
Atqui virga etiam ſæviſſe hæc fertur in Agar,
Exploſitque domo, ſibi quod detraxerit Abram.

G Et

9 Pollæ nomine intelligimus famulam, quæ poſſet omnia in domini ædibus amore ſui capti. Et ejuſmodi mulierum quanta fraudibus allata in domos damna ſunt crebriora exempla, quam exponi noſtris adnotationibus poſcant. Poſtremo adeo eſt difficile famulas invenire, quibus ſit cura aliqua rerum Domini, ut putem inter incommoda cælibum hoc non eſſe poſtremum.

Et vere eſt mirum, Dominam ſi in ſtrata vocantem
Effugit munda ſpoliatus ſindone Joſeph.
Quis vero prædam avellit Briſeida Achillei?
Quis convellit eam? Procul hanc comitatur amator,
Et ſecum loquitur, triſtique hæc corde volutat:
Hinc abis, o noſtris vitalis flamma medullis,
Hinc abis, o anime? Hinc abiens ut creſcere pœnas
Vita potes, noſtriſque augere incendia lumbis:
A te dignatus generoſo ſolus amore
Ipſe fui: Tu ſola alto ſub pectore digna
Sceptra tenere: Haud eſt ſervilibus apta catenis
Peleidæ Regina fui. Vel major utroque
Atride eſt dominans in nos ſua juſſa petentes.
Sic plures urunt non ſolum pectus herile,
Sed flammas Hecubes, uteroque incendia geſtant.
Sin vero in cineres evertunt Pergama ſeros
Poſt decimum belli mutatis orbibus annum,
In domibus rixas, & tales excitat æſtus
Quælibet, ut fratrum pereat concordia, ſciſſa
In partes redeant patrimonia magna puſillas
[10] Inque ſuburbanis Capreis ſtent ſæpe Nerones;
Ut vetitis ſatiata modis Citheræa quieſcat:
Hæc veſtra, hæc noſtra ſunt urbe exempla quotannis.
Sed vetula, atque ævum veniat jam nata Sibyllæ[11]
Cui rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet?
Hæc nuſquam ſicco diſponit juſcula naſo,
Inque ipſis dapibus non raro emungitur, ore
Obſcuri pſallunt dentes, oculiſque retuſis
Non filum diſtinguit, acuſque foramine aberrat.
Ciſſeidis rictu canis omnia vocibus implet,
Nec latrare ſatis, vicinas lubrica mordet.
Inſuper uxorem ſi habeas in flore juventæ,
Aut natam, plenis quæ jam jam adoleverit annis

Ne

10 Id eſt, ut Nero Capreis, ſic alii libidinis gratia commorantur ſuis in ſuburbanis, famuliſque venuſtis abutuntur, & familias dividunt, patrimonia diſſipantes.

11 Vetulæ plerumque ſervæ lenæ uxorum, & filiarum Domini turpis lucri gratia, illæque ſunt, quæ probra domorum poſtea vulgant.

Ne dubites, quin ad Veneris monumenta nefandæ
Conſilium deſit prudens, manus, auxiliumque.
Quod ſi Romana huc redeat Lucretia, [12] vel ſi
Catharide rurſus naſcatur ſedula, nunquam
Litterulas nunquam munuſcula ferre, referre
Deſinet, & tandem pollutos ducere moechos;
Cumque procul maneas, aut ſomno membra ſepultus
Stertas, panduntur venientibus oſtia, ſacris
Parcitur haud thalamis, intravit quos Himenæus,
Et Genius fædo hircorum ſpurcatur odore.
Accedit quod cum primum contractus initur,
Vicinis narrat, mox fama acquirit eundo
Vires, & tota celebratur fabula in urbe.
Nulla ſiletur in hoc vel circumſtantia facti
Vel perſona, locuſque, nihil ſuperadditur, & nil
Deficit, hoc ſiquidem eſt mercatu conciliatrix.
Accuſare poteſt Dominam quia tempore, quo vult.
Ergo diligitur, frontemque ſuperba refringit,
Ut matrona ſimul paveant, & conſcia proles.
Hinc nutu imperitans regit omnia ruſtica læna.
Annoſus tenet Anchiſæ Genealogus unam [13]
Ob Gevam, turbamque domi nutritque, fovetque.
O bonitas ſumma! o bonitas, o terque quaterque!
Penelopes pater, ille procos quod pellere nunquam
Ædibus eſt auſus, retulit jam nomen inertis.
Sed noſtrum Reges laudant, ſua gloria creſcit,
Et placet, icciſco quænam non lingua ſequetur?
[14] Se Charitum præfert Bibula ex numero; comes ire
Vult tribus, & digitum dextra ſordeſcere levi

 Non

12 Lucretia fuit uxor Tarquinii Collatini, cujus recitat hiſtoriam Livius, de qua Poëta
Teſtetur cunctis me non violaſſe pudorem
Ante viros ſanguis, ſpiritus ante Deos.
Catharides pro Catharina, cujus pudicitia illuſtrior eſt Alexandria, quam fuerit Cleopatræ amoribus infamis.

13 *Geneleagus Anciſæ.* Satis notus Florentiæ in hac materia peritiſſimus, qui domi ſuæ famulam, maritumque ejus, treſque filias nutriebat. Bonus vir alioquin.

14 De Bibula jam diximus, ſed hic ſumitur pro ſerva delicatula, quæ ambitione formoſitatis ſervitia ſordida ſpernit.

Non patitur, matulas oculis hæc aſpicit hirquis;
Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,
Si clamas, hæc dedignatur, ſedula ſpernit,
Gypſata ut fragili deſcendat aranea tela
Vulſa manu, & poſſit croceos fædare capillos.
Stat Paſithea recens, cujus facundia lingua [15]
Inſidet atque eſcas ſcrutatur, vina capeſſit
Præcipuum natale ſolum, pretium quibus addit
Vervecis, leporis carnes, carneſque ſuillas
Deſpicit, & piſces ſelectos quærit in amne;
Sin alios affers, incoctos abjicit, offert
Aut male conditos. Socratis patientia debet [16]
In te converti, Xanthippe haud deficit; hæc eſt
Fortaſſis pejor: mores non ingenui ſunt
Et ſapiunt quamdam naturâ ruſticitatem.
Dimitte has dices. Quære, & connitere totis
Viribus; ex Italis diſcedens finibus inter
Hiſpanas oras, Gallas, & Teutona regna
Scrutare; auratam Junoni cæde juvencam [17]
Pro voto tandem Tyriæ, ſi fæmina rectis
Moribus occurrit caſu, capitiſque pudici.
Quod ſi ex nobilibus numerus ſit rarior albis
Corvis, non pravam reperire ſtudes ubi ſervam;
Exſiccare putas pelagus, compeſcere ventos,
Mundare à cæno Mutinam ligno uſus Aliptæ.
[18] Nulla fuit, nulla eſt, & nulla erit omne per ævum.

15 Paſithea eſt nomen unius ex tribus Gratiis, & jure merito aptatur quibuſdam famulis, quæ dominantur in herilibus ædibus.

16 Patientia Socratis cum uxore Xanthippe eſt in proverbiis. Videatur Plutarchus.

17 Juno erat propitia Tyriis, & Carthaginienſibus, & ideo infeſta Romanis; quare Virgilius 1. Æneid.

Urbs antiqua fuit Tyrii tenuere Coloni
Carthago Italiam contra, Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli,
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo, hic illius arma
Hic currus fuit, &c.

18 Proverbio dicitur *Menar l'Orſo a Modana.* Hæc Civitas ſatis cænoſa eſt, alioqui ſpectanda antiquitate, & nobilitate conſpicua. Orſo vero eſt lignum, quo aliptæ utuntur ad mundandas eorum officinas, & Thermas.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo

DOMINO

JO. FRANCISCO ROTAE,

Utriuſque Signat. Referendario Apoſtolico felicia, & maxima quæque precatur.

MANTUANUSNE *an Cremonenſis fuerit antiquus Virgilius, ſub judice adhuc lis eſt; te vero novum Virgilium Cremona filium, patricium, & dynaſten cognoſcit. Quot ego titulis nominibuſque tibi debeam, cor meum, quo nullus major eſt teſtis, novit, eo præſertim amore, quo me proſequeris, tuumque appellas? Quare nomine tuo illuſtriſſimo hanc meam octavam Satyram decorari volui. Tu illam non, qua ſoles, humanitate reſpicias; ſed judicis ſeveritate redarguas; jucundius mihi nil potes impertiri, quam ſi tuis animadverſionibus meliorem feceris. Hoc te rogo. Quis enim aptior ad hoc ſcientia omnigena; quis accommodatior fide antiqua; quis promptior benevolentia ſumma? Præſta igitur id ipſum, meæ ut expectationi ſatisfacias, & Vale.*

In Adulatores.

SATYRA OCTAVA.

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Præſidem Dom.

JOANNEM FRANCISCVM ROTAM CREMONENSEM.

SVMME inter vates, ætas quo noſtra ſuperbit,
Virgiliumque ſuum rurſus mirata Cremona,
Dat Latii Auguſtis majori ſorte fruendum,
O ROTA, Pierides noſtræ quâ per juga Pindi,
Per colles Aſcræ celſo temone feruntur.
Sunt, quibus in Satyra videar nimis aſper; id illis
Numina non tribuant vitio, veniam donantes.
Ipſe nihil moveor ſermone accenſus iniquo;
Plurima vix tango, lenis vix dextera ſcalpit
Crimina, quæ ad ſummos apices crevere, nec ultra
Expectant incrementum, quod jam ſuperaddant.
Plus vitia inquirunt, ſpecie qui Relligionis
Feſtucas oculis cum inſidentes aliorum
Aſpiciant, & ſæpe ſuis ſtipulaſque, trabeſque
Haud videant, acri contundunt omnia ſannâ.
Et qui non culpat male facta, injurius orbi
Terrarum, generique hominum toti eſt; probat ille
Qui ſilet auditor; nam animos ſic hiſtrio tollit
Aſſenſu populi, magno ut plaudente theatro.
Condono, nuſquam moroſus, ſi quid aberrat
Aut ſemel, aut iterum; chordâ qui peccat eadem;
Sed ſemper veniam haud toties reperiſſe meretur
Lapſus & erectus, quiſquis nunquam reſipiſcit.
Nec terram Hyblæo madefecit melle Creator,
Quum maſſam noſtris componeret artubus aptam.
Sperno animos fædos; ſed primum iraſcor in illos,
Comiter arrident, & jactant qui vitioſos;

Nam-

Namque manum præbent vulnuſque fovere videntur;
Nec quiſquam peccare fugit, ſi præmia ſontes
Expectant, plauſuſque manent, laudeſque ſequuntur.
Hoſtis adulator, me judice, acerbior omni eſt,
Quicum bella geras, plus armat tela veneno.
Si rabidus furiare Canis, dum fulget utrumque
Sidus, & effervet ſtans Sirius ore leonis,
Cernitur, ire procul ſtudeo, ne dentibus obſit;
Sed Melitæ catulus ludit, caudamque remulcet,
Feſtivuſque manum lambit: prius ergo doloſis
Morſibus inſultat, quam damnum quis meditetur.
Mixta propinantem nigris aconita cicutis
Arcerem jaculo inſtructus, levibuſque ſagittis,
Et vixet, cui nam tu Juppiter æquior eſſes?
At ſi quis noſtro deferret grata palato
Sacchara, non fugerem nocitura paſcier eſcâ.
Helius hoc gabalus pacto quondam imbre roſarum
Sub pluvio Æneadas merſit, tumulumque paravit;
Dum convivarum ſtimulat conſpergere nares;
Conſilium primo poſſit quis noſſe Tyranni?
Spicula quis credat lethalia floribus eſſe?
Aſt ubi compertum, vitandi nulla patebat
Janua; nobilibus pereundum; mors ubi non eſt,
Suffocare roſis ſi vult fortuna licere?
Sphinx etiam, Aonidum ſteterat quæ montibus olim,
Unguibus obductis, blando mitiſſima vultu
Alliciebat iter peregrinos inde agitantes,
Præcipites demum celſa ut de rupe necaret;
Sardoiſque bibens depaſtis interitum herbis,
Dum moritur, ſimulat riſum, fallitque videntes.
Sæpius Oceani quiſquis tranaverit undas,
Jam ſcopulos noſcit, Scyllam, vitatque Charibdim;
Et quæcunque patent vaſti diſcrimina fluctus;
At ſi ſaxa oculos fugiunt, greſſumque morari
Nil tutum ſpondent, redeat Typhis, Palinuruſque;
Invenient ibi naufragium, ſomnoque peribunt
Alto commiſſi, forte & Paeana canentes.

Nititur invictum ſtraturus Jonata fruſtra
Tryphon, barbaricis ni lactans artibus ipſum
Decipere ante dolis, vinoque epuliſque ſepultum
Contingat, perimatque nihil jam hoſtile timentem.
Sed Gnati illius fraterque ultricia ferrent
Arma, niſi rurſus ficti aſſentatio mellis
Blanditias ſtrueret, patefactis Bethſana portis
Simonem excipiens, aurum, puerоſque vadatos
Afferre inſtiget, tandem omnes fraude necentur.
Iſacidas tamen haud mirum ſi numina perdi
Permiſere dolis, ars quorum fraudibus uti
Vel mundo naſcente fuit, germanus & alter
(Cum duo terrarum, nec plures regna tenerent)
Fratrem obtruncavit, lambenti & perditus ore
Aſſentans primo fædavit ſanguine glebas.
In campos venias, mecum fruiturus aperto
Aëre, conſpectuque poli, inquit, liberiore:
Ille nihil contra, ſed iter ſecurus obibat,
Nunc violas carpens, nunc purpureos hiacinthos,
Cum ſubito aſſurgens inflixit vertice fuſtem,
Procubuitque miſer, ſacris altaribus ut bos.
Saturnus quoque commiſcens mitiſſima verba
Cœlum caſtravit; gignendi ablata poteſtas
Sic fratri, ut regno ſolus poteretur avito;
Sed non fraude diu partis opibuſque, domoque
Contentus vixit; Cretenſi nam Jove pulſus
Imperio, ad Latii penetrans inglorius oras,
Invenit Janum populi pia ſceptra tenentem
Illic frondenti quondam de ſubere nati;
Tunc vero illecebris capto ſeniore bifronte,
His fertur ſecum verbis agitaſſe doloſis.
O fama ingens Rex, ô fama ingentior ipſa,
Cui pax una fuit cordi, ſemperque quietum
Servare hunc tractum; quærendi nominis ardor
Quem minime illexit, veſana ſuperbia mentis
Ignota eſt prorſus vel triſtis cura peculi;
Ad te diverſis properavi caſibus actus,

Qui

Qui benefacta doces alios, qui norma juvandi
Et vitâ innocuâ, veluti tu numinis ara
Excoleris, quare hanc tangens depoſco ſalutem.
Filius, hoc dixiſſe ſatis, me filius armis
Appetiit, regno expellens: pectus generoſum
Hoc niſi commoveat, fruſtra eſt facundia quævis.
His me ſuſcipiat latitantem finibus arctus
Angulus, anguſtæque caſæ pars infima, cœli
Sufficiens crebros removendo poſtibus imbres.
Alite nec triſti memet veniſſe videbis:
Nam cuſtos æqui ſum, ſanctæ pacis amator,
Nec quemquam à nobis veniens injuria læſit;
Inſuper & vites qua poſſint falce, docebo,
Aptari Baccho, & nectar ſuperante liquore
Ut botri ſcateant, calcatis protinus uvis.
Hoc mulcente ſono captus, ſpe plenus inani
Bifrons in regni ſocium ſelegit, & una
Suſcepit ſolium duo, queis fuit æqua poteſtas.
Nulla meam præſens pulſabit quæſtio mentem,
Utilene hoc fuerit? mihi ſufficit aſſeruiſſe,
Externo quam ſit regni pars altera verbis
Blandiloquis data, quod conſors factus dominator;
Et ſi agreſtis erant confinia parva popelli.
Ferre vetuſta nimis me exempla datur vitio; quid
Viventes lædam? melior ſi continet ætas
Hiſtorias, ubi ceſſet amor, nec ferveat ira?
Quid plura exquiram, quando his monſtratur abunde,
Peſtibus ex multis nullam nocuiſſe virorum
Plus generi, aut nocituram, quam aſſentatio turpis?
Quin etiam ſimul, & ſi quis mala crimina jungat,
Plus hæc ſola nocet, quam cætus peſſimus omnis.
Ira malus carbo, qui tingit corda vel urit;
Gloria mortales inflat ventoſa ſuperbos;
Rebus abundat, eis ſibi durus parcit avarus;
Luxuria eſt vehemens ac velox motio ſenſus,
Ingenioſa gula & patrimonia glutit Apici;
Invidus alterius cruciat ſe rebus opimis,

Quiſquis iners ſtertit, pigra ſibi morte parentat.
Unus adulator cuncta hæc ſed toxica miſcet;
Auribus arridens, aſpis velut improba ſopit
Et necat incautos. Penetrat ſic dulce venenum,
Sic tangit pectus, ſic & præcordia mulcet,
Diligat ut ſe pellectus, vitiumque ſub ipſa
Proſpiciat ſpecie virtutis, fictaque credat
Vera, & pro veris jactari gaudeat, in ſe
Quæ nunquam vidit tumefactus nomine falſo,
Quoque magis creſcunt mendacia, gaudia creſcant,
Quæ leve pertentant pectus, mentemque ſupinam.
Nemo igitur, nemo eſt inimicior, impia nemo
Infert bella magis, rationis proripit uſum,
Cujus homo adventu fit homo, qua diffugiente
Deſinit eſſe homo, deſinit & quicquam retinere
Quod ſuper extollat nigris animantia luſtris
Condita, vel Libycis degentia monſtra ſub antris.
Quum captura Evæ protenſa eſt dextera pomum
Qua illexit Dominam lingua, & qua fraude remulſa,
Qua ſpecie recti capta eſt? commovit Adulans.
Nam coluber totum virus collegerat ore,
Quod furia hæc unquam vomuit, mortale priore,
Ut genus inficeret, læſo; poſt talibus infit:
In te quæ fulgent meritis ſublimibus, hera,
Ille nimis duras voluit conſcribere leges,
Qui dedit has ſedes, eſcâ vetuitque cibari:
Non igitur vobis Dominus, quoquo lubet, ire
Indulſit? quæcunque placent naſcentia terris
Carpere? Vos labor ergo manet, ſibi cætera poſcit?
Illa autem contra; Nequaquam conſona veris
Effare; haud prohibet Paradiſi ex fructibus eſcam,
Hanc ſolum monuit penitus non tangere plantam,
Ne fortaſſe necis comedentes pœna ſequatur.
Tunc ſerpens nervos intendit; viribus uſa
Quas fallax habet aſſentatio, dulce venenum
Profundens. Mortis lædant tam ſpicula pulchram
Rem, abſit; felices poterunt vos poma nepoteſque
Effi-

Efficere è veſtro ſurgentes ſtipite; namque
Numina vos eritis, bona vos malaque inter noſſe
Tunc licitum, quæ dos prima eſt cenſenda Deorum.
Non opus inſtillaſſe diu fuit ore maligno
Nectaris hos latices, ſubito victoria ceſſit,
Glutivitque bolos noſtro vel tempore amaros.
Hic terris naſcens picta eſt fallacia adulans!
Quænam ergo evaſit tot ſemper adaucta ſubinde in-
Crementis? vix complecti mens ducta volatu
Damna poteſt volucri, mala quot diffuderit, & quot
Deturbet ſolido veræ virtutis aſylo?
Henricus, flexit qui octavus frena Britannis,
Lux Euangelii eſt viſus, Polluxque vocatus
Naviculæ Petri fuerat, Brandonis at illi
Volſæi tricæ poſtquam detrudere palpum
Sunt niſæ, ſummi factus Patris horruit hoſtis,
Bella Deo indixit, Chriſti ſejunctus ovili,
Cœlo ſecluſus, tenebris migravit obortis.
Aſpexique luto plures meliore creatos,
Moribus antiquis, virtus quorum adderet ævo
Huic noſtro decus omne: venit mellita palatum
Pectore ſed ſicas abſcondens peſtis adulans.
Indunt naturam variis mutante figuris
Hac veterem, fiuntque truces, genioque rebelles.
Lecta Ildegardes ſolio, data Cæſaris uxor,
Imperio aſſurgens, dotes pro dote fuere
Viſæ animi egregiæ, toto pauperrima cenſu.
Et quis eam legit? Cœleſti prædita Virgo
Legit honeſtate, Auguſta hanc Pulcheria legit,
Provida plus aliis, conſtans, & cauta pudice
Et quam formabat ſimilem ſapientia Divis.
Juſta diu vixit, ſupremas vixet ad horas,
Ni tandem vano tumuiſſet fervida faſtu.
Hoc factum unde fuit? congreſſa eſt turba clientum
Blandiloquiſque dolis oſtendit, nomine dignam
Haud eſſe Auguſtæ, grandi quæ ſerviat aulâ
Imperitetque nihil; tunc nacta ſilentia mores

Cor-

Corrupit, labens orbis traxitque ruinam.
Theudoſio nullus ſceptri rellinquitur hæres,
E vita excedens mulier peregrina, domoque
Exul ab ætherea, hæreſeos maculata nigrore
Ingemuit, non grata viro, non grata propinquis.
Huic noſtris quid par forſan renovabitur annis.
Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.
Si quando exigitur, quod juri haud conſonat æquo,
Ille, cui eſt animi moderandi facta facultas,
Non licet hoc fieri, loqueretur Chriſtifideli;
Romulidæ, gens Gallorum, Germanus, Iberus,
Hetruſcus forſan populus potiora viderent;
Sed cultis percepit adulans vocibus uti.
Farinata alter vultu defendit aperto [1]
Quis vera? & quis non trepidat? quæruntur ubique
Scriptorum placitis placita affamulantia Regum,
Et queis nulla fides danda eſt, fideique, reique
Traditur arbitrium, & vis, & norma regendæ.
An mordere paret, paret an te lambere Rufa
Incertum; certe patrimonia dente ligurit,
Dum lambit, prono blanditur Scrofula rictu,
Et mentita domos expilat baſia vendens.
Si corda anguſtis poſſet ſpectare feneſtris
Momus, ab externa facie quid diſcrepet, intus
Quod latet, aſpiceret. Verum miſſa hæc faciamus,
Forſan amara nimis cuiquam quæ jam videantur,
Et fila aptentur reſonantia dulcius ipſi
Plus placitura chely. Nurvi ſtat ſocrus amica,
(Ingens prodigium, dignumque poëmate, vel quod
Hiſtoriæ æternis commendent in monumentis)
Diſſidium ſeritur quo pacto? fœmina cornix
Adventet, Nurvi ſocia in conclave recedat,
Et labium ſolvat, nata eſt diſcordia linguâ,
Extremam ſemper replebis filia ſedem?
Semper eris minima hic, inquit, numerumque cubantum
Au-

1 Farinatam ex Ubertorum Familia, de quo Dantes *Di quel'che là diſeſe a volto aperto.*

Augebis? ſponſæ nomen, titulumque maritæ
Dant tibi, ſed famulam potius te dicier æquum eſt;
Cum ſervans carbonem ſopitum, cineremque
Poplitibus ſedeas incumbens, dum ſocrus igni
Interea calet, & regnat; ſi ſtuppea cum ſis
Non grave parere eſt tibi, quid non fama loquetur
De te? quid facerent, ſi non dotata petiſſes,
Fœta domum ſponſi, non certo Patre creata?
Hoc rapit excuſſam præceps in fomite flammam,
Qua flagrat, & tandem comburit funditus ædes.
Nam mulier res eſt natura, quæ facili ictu
Pellitur in motus, improvida fervet, & exlex.
Quod ſi non primo congreſſu cedat, eodem
Tentatur ſtimulo, & quæ non vincitur altis
Pollicitis, donis, vultu, precibuſque, minisque,
Blandus homo vincit, verbis & fallere doctus.
Quid non viſa valet tua forma, vel apta movere
E ſuperis quemvis? decet heus mihi crede parari
Uni tanta viro? tua multis dignior ætas
Spectari, & meritis in cœlum laudibus ire.
Si non flexit amor, ſi nil optavit avare,
Cætera ſi ſprevit, tandem ambitione movetur,
Aſſentatorum præbendo laudibus aures.
Eluſiſſe viros ſpacioſam fallere noctem
Penelope fertur ſolita, & pendentia fila
Texere, & ipſa jugo rurſus revoluta referre;
Sed pectus ſpectare ſuum, ſed candida colla
Non vetuit, frontemque procos, oculoſque tueri,
Laudibus inque datis tentarunt gaudia mentem.
Numen adoratum, precibus, votiſque petitum
Sæpius, & cujus madeat crebro ara cruore,
Thuribus aut fumet, fronde aut ornetur odora,
Sævius eſt, olim fuerit quam Taurica virgo,
Saturnuſque ſenex Tyriis altaribus, ignes
Si non reſpectat, ſi non ſacra victima placat.
Qui placide ſinuant venientes carbaſa, ventos
Colligit extenſo vel triſtis navita limbo:

Sic

Sic nulla eſt, laudes quæ non comitetur amicis
Auribus imprudens, & riſu fæmina oborto.
Curculionis erat conjux, quæ crimine lædi
Cenſebat mentis, veteris cui gratia facti
Excidit, inſpector ſi quandiu adeſſet, abiret
E ſpeculis, prima patefactis fronte Penatum:
Exorta eſt thalamo communi filia, moecho
Non dura, & ſeſe complecti prompta petenti,
Si pretium ſcorto quivis ſolviſſet abacto;
Hoc titulo, quod forte foret pulcherrima forma.
Semper adulator felix erit ergo in amore.
Namque hæc ars hominum fluitantia pectora mulcet.
Nec Venus in domibus gaudet minus obſequioſis
Illecebris, quam Mars in caſtris flectitur ira,
Miteſcunt medio bellantes agmine Reges.
Æneas, Drances quum pacem lumine caſſis
Poſceret, eloquio melior, blanditus amice,
Proſequitur veniâ Trojanus morte peremptos.
Nam dulce eſt fama ingens dici, ingentior armis,
Juſtitiâ cœlo dignus, dextræque labore,
Æquandus Divis, Divumque ſimillima proles.
Et Priamus fertur Peleidæ cedere neſcii
Flexiſſe iratum ſtomachum, Thetidoſque vocando
Filium, & auricomum, damarum vincere plantas
Aſſuetum, ventos, & aves pernicibus alis.
Quis tamen hoc vitio vertat genus aſſentandi,
Si juvat? id pejus dicendum eſt, Induperator
Quod vento inflatus non dirigit agmina, quando
Expoſcit tempus, vel tentat prælia, quando
Ceſſandum, muriſque labantibus haud quatit arces
Aut opere, atque loco, nequeunt quæ mœnia vinci;
Aggreditur, cunctando ſedetque, occaſio præceps
Dum fugit, & vultu ceſſat fortuna ſereno.
Nonne decus Romæ moriens erat, Annibal urbi
* Cum ſtetit imminitans? noſter Fagiolius ambas
Piſa-

* Uguccio Fagiolus ſeu de Fagiola Patritius Aretinus, ideoque noſter

Piſarum & Lucæ pariter cur perdidit arces?
Nonne mora alterutri brevis obſtitit, unaque cœna;
Et nimis indulgens aſſentans lingua palato?
Quid forſan reliquos ſectantes Palladis artes
Non petit hæc diris ſimulatio morſibus, atque
Deſubitat penitus? Cicero pater urbis habetur,
Dum timet arma, togæ contentus tegmine, ſed quum
Deſinit orator patres, populumque movere;
Et Magni partes amplexus, caſſide nubit,
Loricam aſſumit ferroque auroque trilicem,
Suſpenditque humero perſona militis enſem,
Aſſentatorum plauſu compulſus, & hoſtem
Provocat, urbanas extundens ordine turmas;
Adverſus priſcis ducibus, nil fortiter actum,
Contendit, nil diſpoſitum prudenter abunde,
Nil caute inſtructum, tandem exitus acta probavit,
Quod multum lingua ejuſdem, nil dextera poſſet.
Rem non diſſimilem feciſſe Demoſthena tradunt,
Quem palpatorum grex aptum dixit Athenis
Ut naves regeret, tamen hic re non bene geſtâ
In ſua crudelis convertit viſcera ferrum,
Obfuit & patriæ, Græciſque futura paravit
Damna, ſub imperio Pellæi ſponte redactis.
Collige ſi lubeat ſimul omnes hæreſiarchas,
Invenies ipſos vitio Gnatonis adultos.
Si quando in fidei deriſum ſcribere quiſquam
Cœpit ſinceræ, pœna ille coërcitus eſſet,
Non toto mortis virus fudiſſet in orbe.
Sed pars Germanæ gentis, Batavæque rebellis
Diſtulit impoſito non ſolum flectere freno
Luteri audacem linguam, mentemque ſuperbam;
Nomine Apoſtolico venerata, ſed Anglia, ſacri
Conſtituit fœdum ſeductorem abſide templi.
Quod prius Arrio factum fuerat, terrarum

Quan-

noſter appellatur. Hic duas urbes præclaras perdidit, dum aures aſſentatoribus in longa Cœnâ præbere voluit, nec litteras ad ſe perlatas legere.

Quando orbis gemuit ſectans veſtigia monſtri
Inviſi ſuperis; ceperunt arma tuentes
Imperio Reges, amplectitur utraque ſolis
Serva domus, petram ſupplex eccleſia primam
Dixit, & ingenium mirata eſt; Hinc Athanaſi
In decus, in vitam renovavit prælia Cæſar,
Cæſar Alexandro, Petroque infenſus; utrique
Tortor: Erit meritò pro tanta laude ſuperbus
Cerberus è Stygiâ latrans progreſſus arenâ,
Dentibus & lacerans Chriſtum, & ſua ſacra profanis.
Antiquis medicus placitis Themiſon adhæret,
Quæ falſa exploſit ſuccedens cautior ætas;
Aſſeclas reperit, nec abeſt qui Cæculus illi
Apponat plenis plaudens præconia buccis;
Dicitur eſſe prior, magnâque ſtupente catervâ
Ructat Avicennam, Hippocratis vel fert Aphoriſmos,
Vel Græcè oſtentat crepitantia verba Galeni.
Plauſibus excipitur, reſidet ſublimis in aſtris.
Cur igitur quærat, quid cognoſcant Hodierni?
Anatome edoceat quid? quid bene Chymicus Hermes?
Scripſit Oribaſius: norma hæc, Euangeliumque,
Cui contrà dicens eſt Hæreticus Medicorum.
Immò Piſarum vult quæ ſervatur in alma
Lex Academia, liceat diſcedere nuſquam
Grandis Ariſtotelis, Divique Hippocratis una
A mente, & placita amplecti, ſenſuſque tueri.
Et ſi peccaſſet forſan Peripatus, & ipſe
Cous, ut humanæ brevis eſt ſapientia mentis,
Qui nomen Doctoris, quique ſtipendia poſcit,
Vertere virtutem in vitium, lapſumque magiſtri
Debet, & obniti, aut Rotulo diſpungitur acto.
Nunc dicat qui vult, nullam quod vim patiatur
Intellectus agens, & ſumma potentia quod ſit
Libera; nec veris contraria poſſe probari;
Hic, quoties ſententia Ariſtotelis fluit ore,
Cæſaris haud licitum foret appellare Tribunal;
Ferre neceſſe eſt, & premere altum corde dolorem.
Vi-

Vivat adhuc . . . . lus, an crudelibus occubet umbris,
Neſcio, Democriti dederat qui nomen in albo,
Et tandem juſto cecidit ſub judice morum.
Uno contentum tamen hoc non credo fuiſſe
Crimine; ſubtili genio nam præditus omni
In re, quid faceret, quid non, quis dicere tentet?
Sed ſcitis quianam talis petulantia crevit?
Non ſimilem reperiri alium fortaſſe cachinno
Protulit egregius Princeps, clauſtriſque monendum.
Sunt laudes ſtomacho & Cimonis edulia grata;
Hæc triplici magis obſtringunt fune: Hæ Cynicorum
Sectam, quæ nudis pedibus, craſſoque cucullo
Incedit, captant, dumoſque & luſtra pererrant.
Ubera ſugit adhuc nutrita ex lacte Puella;
Dic, quod pulchra eſt, hæc geſtit laſciva, jociſque
Et riſu exultat, ſpoliis gemmiſque movetur.
Si verbis graviter moneas, ſi forte mineris,
Pupa ſupercilium obducit, lacrumiſque vocatis
Corrugat frontem, ſpurco & pedore ſalutat.
Sic inflat primis noſtram aſſentatio ab annis,
Et famulam ducit naturam, donec in urna
Condantur cineres; hominem nec deſerit ullum.

ILLVSTRISSIMI

ROTÆ AD AVCTOREM

EPIGRAMMA.

Sæpe ſuos aliis mentita Calumnia mores,
Et commune ſuum dedecus una facit.
Virtutem prior ipſa petit, ceu nubila ſolem
Obſcurent, quanto clarior ille micat.
Nubila ſed recidunt, redeunt ſed lumina Phoebo,
Clareſcit virtus; ſic perit invidia.
Objice tu clypeum virtutis, & umbo repellet
Spicula in auctorem. Sic quoque victor eris.

ILLVSTRISSIMO ET CLARISSIMO
VIRO

GODEFRIDO GVLIELMO
LEIBNITIO.

Hanoverenſis Electoris Conſiliario &c.

Argutus ex Academicis concordibus Claſſis

S. P. D.

A*D te, eximium mundi ornamentum, omnique ſcientiarum genere exeultum, Nonam ex meis Satyris inſcriptam mitto, ut perlegatur in ocio, ſi quid ocii in tantis curis nactus fueris, & amiciſſimè, hoc eſt ſeveriter, penſetur; An digna appareat in hominum conſpectum venire. Sexdecim Pater progenuit*

—— Facies non omnibus una eſt,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Ergo ab hac reliqua normam accipient prodeundi, vel latitandi; cum nemo æquior judex & cenſor valeat reperiri. Nemo enim eſt, qui plura legerit, qui plura ſcripſerit, qui plura ſciat, vel teſte doctiſſimo viro Antonio noſtro Malliabechio, quo auctore, quo conciliante ad te, veluti ad oraculum accedo. Non dubito ornatiores futuras meas Muſas tuo nomine, immo ſpecioſas ſuperbienteſque exituras, ſi nævos ipſe, vel maculas abſtuleris. Fac rogo, pro communibus ſtudiis, veluti frater, ut cenſebat Socrates, & Vale.

Ad

Admodum Reverendo ob virtutem, & ob doctrinam Celebri viro

GODEFRIDVS GVLIELMVS LEIBNITIVS.

S. P. D.

Quod ex doctiſſimis illis tuis Satyris, & ad publicos profectus comparatis unam mihi inſcribere voluiſti vix nomine licet noto & ſolo, ut opinor, teſtimonio inclyti Magliabechii noſtri cognito; quantum fuit inexpectatius, tanto magis à me gratias poſtulat; quamquam ego poëma potius tuum, quam intus deligendo conſilium laudare poſſim, & valde verear, ne ſis ab amico communi deceptus, quem benevolentiæ indulgentiorem, quàm pro judicii acrimonia fecit. Sed hoc commendationis ſuæ periculum ille ſuſtineat. Ego ſi minus doctrina, certe ſtudio me favore tuo non indignum præſtare conabor. Dabam Hanoveræ 13 Octob. 1695. P.S. Adjicio Epigramma, quod ex vena areſcente fluxit.

IN SATYRAS
Viri Clariſſimi Arguti Academici
EPIGRAMMA
GODEFRIDI GVILIELMI LEIBNITII.

Difficile eſt Satyram non ſcribere; ſed tamen acri
Utile miſcentem ſcribere difficile eſt.
Hoc à te video fieri, Clariſſime vates,
Vena reviviſcens quem Venuſina rigat.
Ure, ſeca porrò, & vitiis turgentibus inſta,
Lixiviiſque oleum jungere perge tuis.
Dum curas animas Parochus, moreſque Poëta,
Bis Populo medicas ſcis adhibere manus.

IN VERSIPELLES
SATYRA NONA DRAMATICA
POETA, ET MVSA.

Dentibus armatam video tibi Muſa ſupremam
Ac imam video jam partem mandibularum.
Expuere ut paucis fuerat mos menſibus ante
Lac, modo tu gaudes acres infigere morſus?
Muſ. Quid mirum, ô fili, ſi mutor? & hoc tulit ætas.
Quotidie noſtris aliquid ſuper additur annis.
Eſſe juvat, quotquot non integra fruſtula cerno.
Poët. Utere jure tuo. Si multum pagina fellis
Continet, id vitio detur Permeſſidos undæ,
Quæ inter ſaxa cadens ſpumans obmurmurat ultro,
Et rapit, atque trahit quæcunque ſibi obvia fiunt.
Muſ. Mnemoſynes Phœbique, ut ſcis, ego filia; ſemen
Eſt mihi Divinum, terræ contagia lædunt;
Et cur non potero, priſcis quæ moribus obſint,
Quæque nihil placeant, reprehendere? Carmina qui vult
Noſtra legat; non vult, non lecta relinquat abuſus:
Plus operæ & ſtudii nobis, quam poſcitur illi.
Laudibus anne licet falſis extollere, ſi quid
Et culpant homines, & cœlum deſpicit hirquis?
1 Si quoties quærit Cyprianus debita lecto
Conjugis exigere, uxor garritu negat, arcetque
E thalamo miſerum petulanti voce maritum,
Quæ tamen uſque cupit, rigidæ ut tentigine vulvæ
Ambulet ad ſylvas Druidaſque invitet in ipſo
Seceſſu ſubigens triſti lodice premendam?
Si tumidi incedit rurſus lectica Mathonis,

Ple-

ADNOTATIONES.

1 Iſte Cyprianus fuit quidam bonus vir, cui uxor imperans bracaſque ferens faciebat quæ ſunt hic deſcripta. Mutet qui vult nomen Cypriani & aliud apponat. Mihi placuit, quoniam à Cypride ſeu Venere venit.

[2] Plena ipſo, & reſidet pingui Creſcentia ſella,
Inſimul & vanæ malefactis gloria ſurgit?
[3] Anne vides Gallam, Læna̧mque, videſque Corinnam,
Quæ verrunt plateas phrygiatis veſtibus auro?
Se manuum jactant opere, & poſuiſſe labore
Nocturno quæſtum in cenſum velut uxor Ulyſſis;
Sed cœlum novit, ſed conſcia ſidera, quænam
Eſt inſtructa jugo, quonam ſubtemine tela
Expleta, & quidnam, primum cum ſurgeret Eos,
Illarum vitio jam Norandinus oleret.
[4] Pigmentis vultum prodit fucata Barine,
Quæ ducta ingenti ſibi comparat undique ſumptus;
Ut nec dimidium præſtet ſibi fundus avitus
Impenſæ ſtultæ; campi hinc viteſque relictâ
Culturâ, ſinus exercetur, & ubera (ne quid
Deterius dicam), pro fructu ut penſio conſtet.
Quodſi vel centro vitium tegeretur in imo,
Illius & vultus, & geſtus prodere poſſent
Perfidiam, fraudes & fœdo ex crimine lucrum;
Hinc animus diræ trepidus formidine culpæ
Cernitur ex ore erumpens; ſibi conſcia veri
Lingua timet fari, loquitur res ipſa pudoris
Index in riſu mœrens, quæ humore coacto
Obſit imago oculis, quæ frangat pectus, oberrat;
Artificis conjuncta toro eſt, Dominamque vocari
Se jubet, atque adeo ſatagit, connititur, infert,
Ut ſæpe hunc titulum, corrupto more reportet.
Aſſentatio Ibera decus dat habere lupanar.

2 Creſcentia à creſcendo dicitur, & eſt nomen fœminæ præpinguis, quæ commodis ſuis ſolum inhians, ſella vult deferri; quemadmodum Matho à Juvenale deſumptus totam replet lecticam tumidus ſuperbia.

3 Galla, Læna, & Corinna ſunt nomina meretricum apud antiquos Poëtas, & ſumuntur hic pro mulierculis, quæ infami arte acquirunt modum ſibi condendi veſtes vix matronis nobilioribus conceſſas.

4 De Julia Barine eſt ode apud Horatium, quæ incipit *Si tibi*. Sumitur pro muliere utente fucis & pigmentis ad oſtentandam venuſtatem, cujus arcana hic reteguntur.

Jam tumidam rhedam geſtat Concheſſa per urbem;
Quid fuit in cauſâ? ſubigit, ſi vera feruntur,
Filius, &, meretrix tantò extollatur honore,
Paſcit Amor. Claris diſtinguitur ædibus, intrat
Secura in thalamum, poſcit conclave ſeratum;
Quid timeat petulans lupa? ſi Veſtæ domus eſſet,
Si caſa Dictynnæ, procul iret triſtis honeſtas;
Nam mulier quæcunque ſuo lucra corpore carpit,
Hæc muliebre genus fœdari crimine ab ipſo
Omne cupit. Veneris juſſu lex Cypria venit,
Ut dotem virgo ſtupris ſibi quæque pararet,
Et tunc urbano potiatur ſponſa marito:
Sic ex regina paulatim reddita lena eſt.
Hæc quoque non melior leges Aphrodiſia caſtas
Excluſas vellet velletque licere nefanda,
Utque ſibi indigno jungantur gaudia lucro.
Sed faciamus eam miſſam, namque appetat eſcam
Quis talem, communem etiam lictoribus ipſis,
[5] Cum rara in terris capitis Matrona pudici
Vix maneat; Lamiarum etſi de gente ſuprema
Spiritus impurus fœtet, tradique rogatam,
Mercatum haud renuit; ſi polliceare cylindros,
Annuit & grandis mater Cornelia Gracchis.
Quid facerent Phrynes, quid Lais in hoc Glyceræque;
Si ſpernunt titulos præclarum Patriciorum,
Et plateis nomen tribubuſque viiſque dediſſe?
At nubes inter, levibuſque per aera pennis
Pierides, ſatis erraſſe eſt; terram repetamus.
Sunt qui ſcrutentur, lenonis Sannio cur non
In populo palam noſtris exerceat artem
Temporibus? turpi vitio fors obſtat honeſtas,
Quæ meretricari concedit, datque tribunal?
Cur igitur non eſt, hæc meſſis quod capiatur,
Cum mos virginibus, ſolvatur lutea paſſim [6]

Zo-

5 Fortaſſe hæc ſententia nimis habet fellis.

6 Sed valeat quantum valere poteſt. Bonæ inter malas magis erunt.

Zona prius, quam nota ſibi ſint oſcula ſponſi,
Atque graves utero veniant Junonis ad aras.
Ars nova non aderat reddendi mutua gratis
Officia, ut quoties equitandum ſtapeda dextris
Alternis retineretur, vicinaque promptum
Conclave offerret, furtum tectura propinquæ.
Clodius & veſtem mutandi nil foret, & nil
Juppiter in Tauri latitandi pelle, vel auro,
Indigus, egregia quamvis de gente Quirini,
Vel Coſſi mulier ſtupranda, vel Albuneorum:
Inde eſt, quod (quamvis non ſpargat flumine ſacro
Clitumnus vaccas) albæque vagentur in urbe,
Et totos repleant quæſitâ prole Penates.
Si corrugatis poſt nonam veſtibus horam,
Obſcuriſque genis turpes, & livida mammis
Oſcula portantes redeant, nil quæritur ultra,
Omnia caſta manent, ſunt omnia plena pudore,
Nil licet errari, quædam Sempronia ſi ſit
Sontibus auxilio, ſi magnâ texerit umbrâ.
8 Quid ſimulatores jam poſſunt addere? quænam
Semita fallendi non trita eſt? Integra ſolis
Quæ manſit fidei pia mercatoribus ara
Commaculata jacet. Domina nutritus in urbe,
Et libertatis cuſtode ingens oriundus
A Panſa, aut alio, ſi quiſquam antiquior exſtat,
Patricius merces ſibi comparat in Ligurino
Portu ſericeas, generoſus quas Celibius
Vendit, & inde modos, quos non latro, non graſſator
Laudarint, adhibet, differri tempus ad æra

erunt commendabiles, quas auctor veneratur, ac fere divinis laudibus effert. Utinam falſa eſſent quæ narrantur, & non audiretur quotidie ex honeſtiſſimis ingenuiſque familiis puellas prius eſſe matres, quam ſponſas!

7 Ars iſta infamis lenocinii jam appellatur nomine benignitatis mutuæ, & peſte omni magis obeſt reipublicæ: deperit enim honeſtas, & decus familiare.

8 Novi ego præclarum Georgium Abri Celibium Armenum, cui Liburni contigit quod ſcriptum eſt, cum vendidiſſet nobili viro Lucenſi.

Enumeranda petit; datur, &, ſe poſtea falſus
Decoctum, patriâ decedit nomina fallens.
At bonus Italiæ qui nondum noverat artes,
Cogitur acceptis tribus omne expungere nomen
Pro centenorum ſummâ; lex cogit iniqua,
Jura probant, uſus patitur; fas ergo videtur,
Atque ægrè emungit minimum, corradit, & aufert.
Quis novus hæc Draco conſtituit, qui Juſtitiæ fons
Eructat? clames licet, haud edicta feruntur
Æqua magis, ſiquidem vigilans eſt ferrea virga.
An quantum neſcis aliena pecunia dulcis?
Sæpe & quæſitos gladio, vel pixide nummos,
Perfidiam & fraudes exprobres; numina cœlum
Quotquot habet, teſtes vocites, afferre timorem
Non valet optanti cumulos augere metalli,
Nec rota, nec furiæ, nec ſaxum aut vulturis atri
Supplicium, aut quodvis majus toleretur ab umbris.
Priſca fuit probitas homini ſpectata, quouſque [9]
Symmiſtarum audax increvit ubique caterva,
Inque fori fora diviſit, duo ſacta, polique.
Nunc cura eſt doctis, calamo ſuper aſtra volare
Non ſtudio veri ac æqui, virtutis amore;
Subtili Scoto per nubes quærere penſi eſt,
Eſt vulgare viris, quodcumque probabile non ſit,
Tum verbis ornare prius, tum pingere fucis,
Ut ſecura ſcholis abeat ſententia longe
Exploſa, & regnent fallace ſophiſmata vultu.
Jam ſimplex animus, jam cor non fraudibus aptum
Mortali, & ſervabantur ſine teſte, dicíſque,
In ſylvis firmata, procul promiſſa, vel antris:
Improbitas illo ſuerat mirabilis ævo;
Et quodcumque malum cenſebant igne piandum
Agreſtes populi prægnanti ſubere nati,
Noſtra procax agitur tranſactis triſtior ætas,

Cui

9 Hæc diviſio in forum Poli, & forum ſori eſt damno animabus. Dicàt contra qui vult, nam plerumque aperit fraudibus aditum, ut probatur exemplis.

Cui ferrum nomen dedit, aut ſi deterius quidquam
Eſt ferro, utilitas rerum menſura putatur,
Et ſiquid deceat, vel non; ſi quid ſit honeſti
Legibus aptatum contemnitur inquirendum, &
In ſe Pandectas geſtant marſupia clauſas.
[10] Si Clemente fuit, ſi Urbano natus in alta
Sede Petri, Innocuum vel cui fert præmia pectus;
Quæritur, ut poſſit Sejum lex ſubtrahere una
Provida pupillis, nec cuſtodire ſuapte
Scripta manu, teneatur homo, Dis teſtibus ipſis
Si modus effugii ſupereſt, hic pejerat oris
Accedens madidis, & fraudem jure tueri
Jurando haud dubitat, negat hic chirographa, quando
Arguit ipſius bene litera, gemmaque princeps.
Quonam ſancta fides latitas in rure? quis arcu
Defendit Phœbus? quis Juppiter igne triſulco?
Aut framea Mars, aut Virgo quæ regnat Athenis?
Vox iſta eſt vulgi, cunctos punire nocentes
Si ſuperi curant, armamentaria cœlo
Vel deſint, vel quando ad me venient fera tandem
Fulmina? multorum nunquam tetigere penates,
Sæpius aurati cum ſcindant culmina templi;
Aſtrææ gladio cuſpiſque, acieſque retuſa
Ni foret, in proprios ſæviret juſta miniſtros,
Qui nulla, in morem latronum, lege ruentes
Excoriant, lanius miſeros ut deglabrat agnos.
Plecteret & Brutum, cui mos producere lites, [11]
Et ſpe lactatos ſenſim ſpoliare clientes.
Inde ſemel peccare auſis, iterumque, iterumque,
Nullâ ex hoc pœnâ juſtum quatiente flagellum
Accedunt animi, majori crimine ſontem
Quottidie vitam maculant, mox uſus aberrans

10 Inter vitia noſtri ſæculi eſt, quod ſi aliquis juratus ſe obligavit, abſolvi petit ab juramento. Si nondum tunc expleverat annos pupillaris ætatis & contra factum proprium venit, & ſic quæritur, quo Pontifice idem, quo anno quis natus fuerit, vel Clemente, vel Urbano, vel Innocentio.

11 Brutus eſt nomen Judicis, qui producebat lites.

Naturæ evadit ſimilis, penituſque relicta
Libræ impendentis prima formidine, gaudet
Commiſiſſe ſcelus, quod priſca haud viderit ætas,
Et facinus jam grande placet, potuiſſe ſuperbit
Aut mandare nefas, aut nullo horrore nocentis
Hoc patrare manus, veniat dum crimine fœnus.
Audiſti, quoſdam fulcrum ſpurcaſſe jugale
Cæde proci, occultis recubant dum Belides armis.
Vidiſti admiſſos Menelaos Deiphobumque
Confoſſum, nigroque in ſanguine ſingultantem,
Et facibus ſignum excuſſis proferre Lacænam;
Aut ſicæ admotos thalamo ſuſpendere lychnum.
Audiſti, quot moverunt in terga ſecurim
[12] Argivi ſponſi mœchæ audaces Clytemneſtræ,
Dum bello ex longo redeuntes occupat atra
Nox in complexu, dum ſomnus ferreus urget;
Sed noſtra his forſan non cedunt ſæcula; vix eſt
Qui ſcelere haud læſus, deſpumantique cruore
Sit torus inſignis, Genio conditus amantis,
Vitaque cum gemitu fugiat truculenta ſub umbras
Hæc jucunda tamen minus adducentur ad aures
Ipſa tuas; curæ mores, quem Palladis artes
Secernunt populo; videas ſi audacia crevit,
Ut Phœbi fures reprehendat ſæpe taberna;
At qui non dubitant, auro veluti ex meliori,
Obruſſæ monumenta ſacræ offerre ingeniorum.
Quid facerent, ſi non monſtraret calculus ille,
In quem converſum Battum cecinere Poëtæ
Quali, vel quanto argentum quis miſcuit ære.
Noſter amat Chorus, ex Græcis ſi quando fodinis
Educta inſeritur ſub noſtris bractea rebus:
Virgilius vatum princeps non fit ſine Homero,
Bellerophontæo nec equo vectatur Horati
Sarcina, quin Alcæus ei, quin Pindarus aptent
Et phaleras, & ephippion, & calcaria plantis:

Im-

12 Ita non eſſet, ut multæ cæde mariti aperiunt ſibi aditum ad novas nuptias, ut fecit Clytæmneſtra Agamemnonis.

Immo ſin ſequitur veterum veſtigia Patrum,
Nemo poteſt animo divinum concipere œſtrum,
Nemo poteſt latices Aſcræi ſumere fontis.
Quid famæ tamen hi referent, qui nil didicere,
Et ſe ſcire putant, lauris & cingere crines
Audent, & poſcunt hederas, & cætera vatum?
Hoc audi, obtutuque manens defixus in uno
[13] Obſtupeas, aſinina Midæ frons auribus exit
Latius expanſis, ſed regnat culmine cenſus;
Divitiis adeo confidit, deperituris
Fortunæque bonis, ut quamvis ſcire Latinè
Illi non detur, Veſtalibus audeat eſſe
Dux, & contendat cuicumque præire miniſtro:
Quomodo nunc credit deformis beſtia Divæ
Inſtruere in cultu non nuptas poſſe Puellas
Quarum potat aquas moderatio, cum natet horis
Omnibus in vini pelago, madeatquis culinis?
Quomodo non illos convellet, quos tulit ævum
Longius in clauſtra, & ſancta in penetralia, mores,
Vilis homo trullas doctus matulaſque referre?
Hæc tibi, pace tua, nunquam, Africa, monſtra videre
Contigit, & non hæc portenta Ægyptus adorat,
Nec quicquam calamo formarunt vel graphicè ulli
Pictores ſimile, aut vates; nequiere colores;
Atramenta negant tam mira licere peritis.
Unde hoc eluſam invaſit mentem cacoëthes?
Pandam; ſed commiſſa tibi celare memento;
Effrenem fortuna aſinum, nimium & petulantem
Hunc fecit vulgus, demens hinc & ſibi plaudit.
Gauſape dum ſiluit dives veſtitus, & auro,
Gymnaſium magni fuerat qui ingreſſus Apellis,
In pretio eſt habitus, cunctique ſtetere mathitæ.
At verbis ſubito ac rudit, ſtultumque rudemque
Se oſtendit, potuitque magiſtro excire cachinnum;
Sic

13 Narratur factum cujuſdam Aſini laureati doctoris, qui præferri cæteris in omni miniſterio poſcebat, quoniam plus cæteris divitiis abundabat. Non ultimum hujus ætatis hoc eſt vituperium.

Sic noſter, veluti factus jam Apulejus Aſellus,
O Cæſar! cupiens elata voce ſonare,
Oh oh clamabit, perſonam pelle latentem
Sub ficta pandens. Illi, fortuna, favere
Si cupias, procul à rebus conſiſtat agendis,
Fac, procul à doctis elinguis, amuſus, & exul
Conticeat mandens, contra ſi feceris, omni
Dum cumulare cupis decore, hunc ſpoliare decore
Atque hominis forma ſatagis, talique miniſtro
Ipſa miniſterium lædis, decus omne reſumens.
14 Quod ſi nobilium comitetur ſpiſſa caterva,
Veſtibus in Tyriis, ſi dent ſua vellera Seres,
Ut quando eſt Patri Patrum referendus in aula
Aſturico, felix quem cernit Roma quotannis
Pro regno miſſam, blæſus noſcetur inanis,
Moribus incultis, ſaperda ſed abſque Minerva,
Aſtrææ Doctor, qui nondum vidit elenchos,
Quique ſuum neſcit notulis depingere nomen.
Poët. Talia profudit, juſſitque ad te recitari,
Leibniti, eloquium totidem qui ex oribus auri
Effundis, Nilus quot adit pinguiſſima regna
Ægypti, fæcundus aquis, glacieque ſoluta
Vix minor Oceano, ſolvit cui ſponte tributum;
Ad te, quo dixit nullum virtutibus eſſe
Majorem, cujus velut hoſpita tendit ad ædes
Tam ſæpe, ut poſſit jam jure Domeſtica dici,
Unum Phœbæa ſpectandum voce, lyrâque;
Te, cui multiplicem ſeptem ſtruxere coronam
Ingenuæ, mundus quotquot componitur, artes;
Cui ſe committit Dominus, cui corda revelat,
Et fidei fidit, tanto & monitore quieſcit,
In cujus titulis mancam ſe fama fatetur.
Excipias igitur: verbum non amplius addam.

Illu-

14 Affertur exemplum Aſturconis, aut Chinææ, quæ datur quotannis ſolemniter Pontifici ſummo pro Regno Neapolitano, pro ſimilitudine Doctoris ſine literis, qui poteſt utcunque ornari, ſed tamen eſt carens ratione beſtia.

Illuſtriſſime, Clariſſime ac Sapientiſſime

D O M I N E.

DECIMAM *Satyram Latinam verecundus ad te mitto, quo non Latinius, me judice, quiſquam ſcribit: non enim ſatis culta videtur, ut tanti viri in conſpectum veniat. Quo conſilio igitur? ut commendetur? nequaquam. Tuis ut caſtigationibus redeat emendatior, & quo ego exiguis viribus non valeo, Patronorum, & præſertim tui, quem principem veneror, manibus deferar. Te judicem ergo, te cenſorem, te animadverſorem pro ſumma mea erga tua ſumma merita animi affectione devoti humiliter poſco, & cuncta majora precor. Vale. 3 Calend. Januarii.*

VINCENTIVS FILICARIA

Anagr. III. Arni Flaccus venit.

Urbs Sullana duos numerat, queis Græcia plaudat
Et Latium, fidibus vel tibi Flacce pares.
Eſt Petrarca prior, citharam cui tradidit ipſe
Phœbus: poſt meruit cura locare Caſam.
Tertius en Arni Flaccus Filicaria venit,
Sed primam doctis ſedem habeat numeris.

DE-

DE DAMNIS BELLI SATYRA DECIMA,

Ad Illuſtriſſimum Dominum

VINCENTIUM DE LA VITELLA A FILICARIA

Patricium & Senatorem Florentinum Poëtam Maximum.

Pacis amator, amor Muſarum, gloria vatum,
Vincenti, in quo Sullanæ modo naſcitur urbi
Tertius & numeris, & rebus Horatius ipſis;
Nobilitate prior ſpectande, & moribus æquis,
In quo rara fides reſident, Divæque ſorores,
Et tandem nihil eſt Momus quod mordeat atro
Dente, & Ariſtarchus notet adverſis obeliſcis.
Debita num prima, anne ſecunda, an tertia ſedes
In ſatyræ claris ſcriptoribus eſt Juvenalis?
Neſcio; magna quidem vigeat ſub judice cum lis.
Grandior, hoc novi, graditur; majore boatu
Perſonat, & reliquis ſuper eminet Oratoris
Laude, nec & forſan Flacco minor eſt Criticus, nec
Eſt Volaterrano minus aptus ſcripta ſalire.
[1] Hunc ego de Latii deduxi finibus, atque
Donavi Hetruſcis, imitator factus & ejus
Cum totidem ſatyris conjungi nitor Aquino;
Sed nihilo ſecius caſtrenſem ponere vitam
Quod velit urbanæ potiorem, non probo, nec quo

Sit

1 Vertimus ſatyras Juvenalis Hetruſcè ut dictitur *in terza arima*, quod genus componendi aliqui vocant Catenam, nam perpetuis vinculis ſignantur carmina uſque ad finem alternis conſonantiis, ut primus verſus tertio, ſecundus quarto, & deinceps omnes reſpondeant eodem ordine. Poſtea compoſuimus Latine ſexdecim has ſatyras pares numero illi, etſi omnino impares numeris, & eruditione. In quibus præcipue eundem Juvenalem, cum Horatium, Perſium, Lucretium, & aliquando Virgilium alioſque Latinos primi nominis niſi ſumus imitari.

Sit motus, video; menti autem Grammaticorum
Subſcribo, ſextam decimæ ordine ſuccedentem
Alterius calamo progreſſam, haud jure tributam.
Nam quo laudaſſet pacto prudentior iſte
Horribilem dictu, factu magis horribilem rem?
Impia Tartarei docuerunt monſtra Barathri
Hoc primùm Tanaim, Vexorem, credo Ninumque
Æquales Diti ut pateretur terra dolores,
Inſuper & læti ſequerentur prælia filii
Horrida, deteſtata ſuis gemitu lacrimiſque
Matribus, & regi conferrent morte triumphos;
Et quandoque, nihil ſi lædant obvia tela,
Pilaque jactentur nullum bibitura cruorem,
Occiput infringit crudelis vite tribunus,
Virtutem lædens omni vita potiorem.
At quænam bellum par noſtræ viderit ætas,
Græcia demonſtret, Latium, ferus ipſe Saguntus;
Et ſi quæ paſſa eſt jam gens victoris iniqui
Arbitrium? quando vivos abſorbuit in ſe
Tellus bellantes, ſubito concuſſa fragore,
Ut quoties Veſtæ deſcendit viva ſacerdos
Ad Stygios pungenda lacus triſteſque paludes?
Sed nulla illarum ſenſit niſi criminis acti
Jam rea pœnarum cohibentia facta nocentes:
Miles, ubi eſt animæ conſtantia prodiga fortis,
Plectitur adverſi tumulatus labe cunicli.
Si turres hiſcunt; aperit ſi ſtrata viarum
Pars muri indicium, veluti ſint vellera Phryxi
Expoſita, & primis ſerventur præmia, poſcit
Quiſque ſibi attribui forſan petiturus honorem;
Hæc tormenta timet, nec mortem extrema ferentem:
Illic pandit iter ſibi dextra per arma, per ignes,
Per lapidum cumulos, calcis per rudera tendens,
Per denſos cuneos peditum, hoſtileſque phalangas;
Cum ſubito erumpens nitrati pulveris imo
Vis terræ è gremio, ſonat ingens fertque ruinam
Abſorbetque virûm trepidantia membra profundo;

Stant

Stant acie inſtructæ confertim ſæpe cohortes,
2 Sed volat antiquis ignota phalarica bellis,
Tartareoque globo ignivomis hydra ferrea bombis,
Et rapit ex albo bellantum nomina mille,
Et galea indutos clypeoque interſerit umbris.
Quæ gens Cyclopas, quæ gens Læſtrygonas inter
Militibus trucior, vixitque immanior unquam?
Dum brumâ Boreas mediâ prætervolat antris
Excutiens gelidas concreto frigore pennas,
Imperat, ut tiro perſtringens aggere muros
Sudet, depoſita ſævus pietate magiſter,
Pro ſcuto cophinum, pro tractans enſe bidental:
Nam nimia eſt cœptum complendi nata libido.
Horrenda eſt nimium uſu carnificina recepta.
Res agitur flammis, umbo non ſufficit ullus,
Infernaque face exultans bacchatur Enyo.
3 Expugnare cupit naturâ ac arte recluſa
Oppida Dux aliquis, modo non mora longa ſuperſit,
Laudatur, totæ etſi exundent ſanguine foſſæ
Et viles animæ pereant inhumataque membra:
Venduntur pretio exiguo pediteſque, equiteſque,
Et præſtat diſperdi illos, quàm ſpargier aurum.
Non ergo Oſtendæ obſidio placet Hiſpanorum,
Nec quo capta modo narratur Candia Turcis;
Cur utrumque manus decimum victoria in annum
Differt? cur tardus miles marceſcit in armis?
Concilium proceres ineunt, foſſamque repleri
Extinctis ſtatuunt; ita palma cruenta metatur.
Horrenda effatu Edonis ſententia monſtris
Digna; ſed & contra dicturus ſurgere nemo
Audet, in hoc maneat quiſquis diſcrimine; lapſus
Fal-

2 Non dicimus quod Antiquis bellis nota non fuerit phalarica, cum ejus meminerit Virgilius, & Pandarum ſic occiſum referat: ſed dicimus talem phalaricam non fuiſſe excogitatam, nempe illam quam dicunt bombam, & apta eſt delere urbes integras ingenti unaque ruina.

3 Hoc eſt bellicum axioma; Præſtat in violenta aggreſſione pereant, qui in longa obſidione erant perituri.

Falſo errore fuit morienſque obtemperet ultro;
Id tamen haud multum, perituri naſcimur omnes
Stat ſua cuique dies, manet irreparabile fatum,
Et ſemel eſt leti calcanda via. Odit acerba
Ipsâ morte magis, triſtes infigere morſus,
Damna fames, quoties torquent jejunia ventrem;
Nec ſolum carnes comedendæ ſunt male olentes,
Sed nec equo interdum, qui ſæpe in bella momordit
Frena, ut parcatur, crudelis cogit egeſtas,
Immò etiam feles mureſque & ſordida quæque,
Alteri in alterius corpus ſævitum eſt obſidione
Aut vallum longa ſtringente, aut mœnia; primum
Quod Samarites agunt, Vaſcones poſtea; noſtris
Forſan Meſſanæ renovatum temporibus; ſic
Extremæ invidia fortunæ perſuadente,
Ut maneant animæ defeſſo in tegmine carnis,
Ut caſus tentent diros ſuperare ferendo.
Et quandoque ſuo pietas naſcatur in hoſte,
Dum depicta fame in vultu cernatur imago
Armatæ mortis, pellis recubet ſuper oſſa,
Æger & exſucco ducatur ſpiritus ore,
Nec jam forma viri miſerè languentibus adſit,
Dum lemures alta videantur nocte vagantes,
Aut ſi quæ ſubitum magis incutiant horrorem.
Et tamen infeſtis non pugnabatur Averni
Depromptis adyto Carcaſſis, igne tonanti,
Quas noſtri exitio generis mortaria fundunt.
Unde eſt poſtremò optandum contingere ſortem,
In bene munita de gentibus urbe, Sagunti;
Permiſit populo illi deſperatio rerum
Ardere ad libitum, & ſtructis ſubmittere flammas
Sponte pyris, ne præda ſuis ſic hoſtibus eſſent:
Nunc etiam invitus rapido conſumitur igne;
Tecta ruunt, templis non parcitur, æra liqueſcunt,
Et lapidum magna ſuper eſt ex urbe cadaver.
Denique nemo famis verbis æquare labores,
Nemo poteſt cædes, nemo ſtupra, furtaque nemo;

Nec quot rura cadunt, ſpoliantur & arva colonis,
Quot culti pereunt agri ſylvæque virentes,
Et quæ Pomonæ loca vel placuere Lyæo;
Cuncta brevi accedens hoſtilis demetit enſis.
Jam matura Ceres Siculis canebat ariſtis,
Paſtus equis cecidit; botris vindemia plenis
Adſtabat, promptam falcatus ſuſtulit enſis.
Pectore ſoli homines venerabile more Deorum
Immortalem animum claudunt, pietate docentque
Naturâ ornari; naturâ religionis
Ad ſtudium duci; at virtutem expungit utramque
Bellum; nulla fides homini eſt, qui caſtra ſequatur.
Sic adimit, quodcumque affert animantia vincens
Et decus & pretium mortalibus alta Deorum
Prona nimis prodeſſe manus; pietatis habere
Quid poterit, ſævo cervices qui metit enſe,
Confoditque ſinus, læſerunt qui nihil ante?
Qui ſerpens tantâ nocuit ſerpentibus irâ
Aut Libyæ in campis ſitientibus aut Marſorum?
Cognatis maculis parcit fera; ſæva leonis
Non ſtimulat rabies in fratres; ſed pigra fata,
Quæ crines hominum poſtrema forte ſenecta
Fregiſſent, celerare pedes cogunt homines, &
Corripuiſſe gradum per Gnoſſia tela videmus.
Cum primum crevere urbes, & mœnia primum
Sunt poſita, in cauſa fuit illud, ut alter adeſſet
Auxilio alterius: nemora hinc deſerta fuere,
Et traxiſſe ferunt auritas Orphea ſylvas,
Amphiona petras; nam fædus junxit amoris
Agreſtes olim populos, olim aſpera corda,
Utilitas ergo, & concordia mutua junxit
Corpora poſt animos; iiſdem ſermonibus uti
Admonuit, cumulare domos, & tollere turres,
Securos ſiquidem, ſocio cuſtode, putavit
Quiſque ſuos tota perducere nocte ſopores
Poſſe, nec adventu turbandos furis, & arma
Protegerent lapſum, aut pereuntem vulnere civem;

Communique tuba pugnandi ſigna darentur
In tigres urſoſque feros, turbaſque luporum,
Et fruſtra peſtes producat terra Gigantum,
Monſtrorumque ſinu ſubolem male gignat aperto.
Integer Alcidæ vires exercitus æquas
Nam verſare valet, concurrens undique bello.
[4] Hinc reges urbs una prius bene conſtituebat,
Litibus ut ſimplex finem ſententia parvis
Aſſereret. Nemo & cupidus confinia priſca
Augendi in reliquas tentabat prælia gentes,
Inter ſe paribus certabat gratia tantum
Officiis, & pax ſeſe diffuderat alma:
Non erat in terris pro jure potentia, non tunc
Cauſa videbatur melior prætore probante
Ejus qui dederat creſcenti munera dextra;
Nec leges pretio Judex aptabat iniquus,
Ut noſtro fecit maculato tempore Conſus.
Non lethale fuit ferrum; ſed ſarcula tantum,
Sed raſtra excoctum ſtruxit, falceſque retortas;
Nec gladios primi norunt excudere fabri.
Non tamen in noſtris, dicetur, cœperit annis
Armandi ſævus populorum pectoris uſus
Et Martis menſem menſem præcurrere Jani,
Quod nequeunt homines concordi mente per omnem
Nutriri ætatem: variis contraria namque
Dant elementa modis corpus commixta, nec una
Conſiſtunt facie ſemper retinentque figuram.
Principio ex ipſo primaque ab origine mundi
Plus aloes, quam mellis habent; ex terra animorum
Involucrum conſtat, coctaque ex imbrice garrit
Et reſonat, quoties minimo vel tangitur ictu.
Non ibo inficias: homini quod tela ferantur,
Antiquum & vetus eſt, bellorum ſed novus uſus.
Hoc tulit, ut victos & qui jamjam poſuere
Arma, furor plectat, disjectos militis artus

I 2 Ob-

4 Juſtinus Hiſtoricus, lib. 1. *intra ſuam cuique patriam regna finiebantur.*

Obtruncet gladius, functiſque extrema negentur
Dona viris, eadem qui ſacra ſequuntur & aras.
Cæſaris & Magni narrantur prælia paucis
Annis confecta; Auguſto Victoria venit
Tota brevi, autumnum in decimum ſi diſtulit Hector
Iliacum excidium, ut mirum cantatur Homero.
Hunc, & quis finis? qua reges pace quieſcent?
Cognatas acies quæ lingua revinciet, aut quæ
Lex æqui? quando non tingent ſanguine ſpumas?
Quis locus Europæ lacrymis non hiſcit obortis?
Victores ſimul & victos lugebit, ut ætas
Adveniet noſtræ ſuccedens tempore nullo
Ingens extremæ damnum ſartura pocellæ.
Jam viduæ feſſis lacerantes unguibus ora,
Vellenteſque comas à ſummo vindice pœnas
Turbati expoſcent thalami, regemque ſuperbum
Fulmina disjicient, & nulla piacula ſolvent.
Quippe hilarem terræ vultum mutavit in atrum
Lætaque Chriſtiadum confudit gaudia luctu,.
Quæ poterit regni cenſeri acceſſio tanti?
Militiæ hi fructus; alacriſque & qui tulit illuc
Sæpe pedem, ſimulat vultu ſpem; paſcit inani
Lætitia pectus, juvenis ſe corde remulcet.
Hæc ſi non ſunt, dementis quæ ſigna putantur?
Inſuper eſt quando vita ſpoliandus & armis
In bello miles, quis juſtum quærit & æquum?
Abſolvunt Corvos, damnant vexilla Columbas.
Num modus aut lex ſervatur? Num judicis ordo
Occurrit? Celeri defertur pœna volatu,
Et miſera infelix ſuſpenditur arbore corpus,
Præfecti hoc animus jubeat pluteiſque ſub ipſis
Occulitur vivens, caveaque revinctus iniqua
Solis ab aſpectu ſecernitur; haud fovet iſte
Juſtitiam? nihil eſt: ſtat pro ratione voluntas.
At poſcat tempus quod ſera ſtipendia dentur
Tres pediti ſolidi, quinque & numerantur equeſtri
Bellatori, illis hac eſt mercede parandum,

Quod ventri ſatis & ſit equo, veſtique ſagoque.
Penſio non tamen hæc ulli venit integra, partem [5]
Archigenes poſcit, poſcit Vinarius, una
Exagitant fabri, fullo, lixæque rogant, quod
Si ſupereſt aliquid, vagina expoſtulat enſis.
Et ſtratum vili quocum centone recumbit.
Quid? quod ſæpe ſuis non ſolvitur illa diebus?
Vel princeps jubeat, vel damnet culpa miniſtros,
Vel nihil inquirat bonitas turpiſſima regum,
Vel quod nummorum decreſcat ſumma quotannis,
Quam dare vectigal ſoleant, portoria, cenſus,
Et quicquid miſera corraditur exuviis vi,
Et quicquid populo exſugit triſtique colono
Sub doni titulo vexatio dira tributi:
At protracta ſemel facienda ſolutio ad idus
Succedit raro, venientibus inde calendis,
Nec nonæ aſpiciunt; tandem perit anxia cura,
Et triſti abſumptæ macie & plorant fame turbæ.
Hinc deſertores crebri vel ſigna relinquunt,
Vel cum pugnandum virtute manuque fuiſſet,
Eſt pedibus commiſſa ſalus; nam quæſtor avarus [6],
Subducens aurum non pacta ſtipendia confert,
Accuſans, jaceat quod merſa pecunia fluctu,
In privos illam cum jam perverterit uſus.
Quid dicam cœpit male viſus cum quis haberi
Induperatori, Præfectis, Centurioni?
[7] Omnibus in promptu eſt Uriæ norma necandi;

5 Detrahitur quædam pars militaris ſtipendii pro medico qui vocatur hîc Archigenes, quod nomen deſumptum fuit à Martiale. Quædam vero poſcitur à vinario, vulgo Cantiniero, ita ut ad miſeros milites minima ſæpe portiuncula; ſi deducantur quæ ſolvenda ſunt pro lectulo, pro vagina enſis &c.

6 Sæpe militibus ſtipendium non venit in ultramarinis caſtris, quod dicantur merſæ pecuniæ, quæ claſſe deferebantur. Credo viris conſonum, ſed tamen infelicibus quale ex hujuſmodi veritate ſolatium?

7 Urias maritus Bethſabææ fuit, deinde emiſſus à David Rege ut relinqueretur expoſitus in periculoſo ad Sionem certamine, & ſic ibi periret, ut habetur in lib. Regum quod ſæpius temporibus accidit.

Objicitur primus certi ante pericula lethi,
Deſertuſque perit nequicquam viribus uſus.
Conſilio melior tecum dux mente voluta
Ante tubas animi bellum; nam ſero duelli
Pœnitet ingreſſum; fruſtra eſt Metanœa minori.
Non prius armatis prætexas navibus æquor,
Quam quibus explores occurrat puppibus hoſtis;
Sic numero expenſo, ſic viribus ipſe videbis
Cuinam poſtremo felix victoria cedat.
Sin minus hoc fiat; Guillelmius ut Lodovicus [8].
Falſæ ludus erit fortis falletque Jacobum
Alea, nil titulos curans pictaſque carinas.
Rideat & quamvis fortunæ ſæpe ſerenus
Vultus, acerba dies totum diſcriminat una,
Quod bene compoſuit. Poſt Phœbum nubila ſurgunt,
Sic Veni imprudens, abeunt cum tempora læta,
Dicere belligeris. Animos firmate puſillos,
Pierides, vati, ne ſint lacrymæ atramentum
Et pro carminibus calamus ſuſpiria fundat.
Eſt quibus effoſſo patrios remeare Penates
Uno oculo indultum, cumulent altaria donis;
Et qui cum redeat gemino non crure laboret,
Brachia non referat vel manca, vel os præciſum.
Hinc diſceſſerunt ad bellum Leucadis oris [9].
Tres, duo de campis abeuntes, tertius ex hoc
Oppidulo, Venetis & ſeſe immiſcuit armis
Sponte cohors, primo præfulgens flore juventæ.
Quid dicam, arbitrio quod ſe commiſerit auræ
Fallacis, Coro ſemper tollenda vel Auſtro
In trabe, craſſitie tabulæ qua diſtat ab unda
Et ſimul à fato, totas terrente per horas?
Quid dicam, inſuetis gelidus formidine ſanguis
Quod ſtetit in venis, quoties vel tangere cœlum

Viſa

8 Jacobus Rex Angliæ, Guillelmius ſimiliter electus à populo. Ludovicus autem Rex Galliæ neſcio modo cur navale bellum geſtum fuit infeliciter.

9 Narratur caſus trium, qui hinc perrexere ad bellum Leucadicum, quorum nemo rediit.

Viſa eſt vel Ditis ſeſe turbare tenebris
Alta ratis, certi nihil & promittere nautæ,
Cum nomen dederit pelago huic modo naufragus Ægeus
Et modo prolapſus ſub aquas nimis Icarus audax.
Miſcebant vario timidi ſermone dicaces,
Hic numeroſa olim periit tumido æquore claſſis;
Imbribus hic noſtro varias diſcuſſa per undas
Tempore, vix ſuperûm ſervata in rupibus hæſit
Auxilio, & pictis teſtatur vota tabellis
Navita quiſque exſpes & crinem fluctibus udus.
Imperioſa fames tandem viciſſe timorem
Creditur, atque cibum petiit fere mortua contu-
Bernalis pallente cohors facieque manuque.
Tunc buccellati ſpecies præbetur edenda,
Cujus ad aſpectum nictabant lumina feſſa;
Tum villum, ſed pejus aqua, quam livida fundit
Imbre redundanti media ſub nocte Suburra,
Fœcibus innutrit putridis (miſerabile viſu)
Vermineam ſubolem vomitumque ſubinde cientem;
Si mordere cibum detur, dens frendit in ore,
Si labia ad potum ſuccedere, vix patiuntur,
Horreſcunt oculi nigra caligine preſſi.
Denique per ſcopulos, per Syrtes Syrtibus ipſis
Pejores iter eſt pelagi, ſtridore rudentum
Eſt clamore virum ſomnus turbandus, ubique
Eſt cimicum fœtor, gravis eſt ſentina, ſonatque
In latus impingens fluctus, tum nauſea torquet.
Sed poſtquam terris figunt veſtigia ſiccis,
Sors fit deterior, pereundum denique telis
Aut vitæ ærumnis; anguſta eſt ſemita quævis.
Solibus exponi dum ferveat ira Leonis,
Et recto Phœbus demittat ſpicula cornu,
Eſt morte aſſari, veluti jam Alcides Oëta, [10]

10 Alcides in igne Oetæ, ut Hercules Oetæus eſt nomen Tragœdiæ Senecæ, Hylas vero puer ejuſdem Alcidæ demerſus in flumine, dum quærit aquas Domino. Unde Juvenalis, *cui non dictus Hylas?*

At dum bruma redit, ſervans ſtatione lacunas,
Elixus moriturus Hylas ſtat merſus in undis.
Sic non una manet confoſſis militibus mors,
Hoſtibus & contra pugnantibus; aſt ubi deſit
Annona, aut veſtis, crudeli tabe fatiſcunt.
Ad tres ut redeam, non Turcicus abſtulit enſis,
Non quæ tormentis volat ignea glans, transfixit,
Sed labor, & victus tenuis nulluſque ſubinde
Occidit, ſuperas petiit dum ſpiritus ædes.
Quod ſi committantur apertis prælia campis,
Ut ſævi ad Trebiam, Thraſymeni vel prope ad undam
Annibalis pugnas ſuperent, nox arma diremit
Adveniens, longos forſan miſerata dolores,
Languentum nulla pietate virûm tumulantur
Hinc atque hinc montes, replentque cadavera vallem [11];
Nec ſatis, ut roſeis ſurgens Aurora quadrigis
Fert primæ radios lucis, refricat ſua quiſque
Vulnera, nec morſu parcit corrodere Tydeus,
Forſitan extinctis locus ipſe anguſtior eſſet,
At pyrobolari ex globulo vorat ignis abactus.
Eheu quid ſupereſt? ubi nunc clementia terris?
Sic hominum viles animæ, ſic corpora vivunt!
Si tamen exceſſit bello levis ala Camillæ,
Aut Rutuli fugiunt, torquet Dux primus habenas
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat;
Non miſeram effugiunt mortem ſine ſorte relicti;
Sternuntur paſſim, laxos languentibus arcus
Suſtentant humeris; fædantur cuncta cruore.
Pars noctu properans per amica ſilentia lunæ,
Caſtelli tangens ſurgentia mœnia, poſcit
Admitti; ſpeculis arcentur, limine & ipſo
Excluſi ante oculos ſociorum, atque ora necantur;
Aut rapit in foſſas curſus repetitus equorum,
Aut fert in præceps ex ripis fluminis alti.
Hinc naſcente die numerus quum triſtis initur,

Ab-

11 Pluribus diebus ſucceſſivis continuatur certamen hodie, quod non memini apud veteres legiſſe, aut rarius factum fuit.

Abſumpſiſſe fugam plures quam cernitur enſis.
Sed nec tuta fuga eſt; Equitatus continet omnis,
Et peditum levior pars obtruncat fugientes.
Sic ſpecies fortis cadere eſt, dum pugna cruentis
Sævit, adhuc dubia, & fervet commixta maniplis;
Namque mori fugientem deteriora ſequuntur.
Bello autem expleto, fingatur quod patria alta [12]
Incolumem videat; Gallinæ filius albæ
Sit quiſquam miles, quem protegat ægide Pallas:
Vix vita infelix; victus quod poſtulat, illi eſt?
Addatur, Caſtris ſolitus quod vivere, ſpernit
Pace frui, ſpernit civilia jura; togamque
Cedere vult armis; vicinos ſæpe laceſſit,
Jurgia diffindit, pro legibus enſe minatur;
Hinc ſæpe elatum Prætoris vincla coercent,
Publica & exilio mulctant edicta quietis.
His addas; anguſta ſibi quod manſio feſſo
Conducenda caſæ, fumo & pædore putentis;
Quælibet unde prius fuerit detracta ſupellex,
Et felix, ibi ſtramento male culcita ſi ſit.
Suſpendit clavo lorum, quo cingitur enſis,
Inde harpen, cetramque locat, longamque ſariſſam;
Hæc ſunt, queis ſpoliis ornantur tecta ſuperbis,
Et tota ut Berni deſcripſit gaza Coderæ.
Attica fingamus duo magna talenta ſuperſint,
Sint geminæ veſtes oſtroque auroque rigentes
Sardonyche inſculta præſtantior annulus & ſit;
Sin anno in patriam reditus moveatur eodem,
Diſpereunt cuncta, & turpis ſuccedit egeſtas
Inque domo miſerum ſuſtentat publica merces;
Natura evaſit caſtrenſis longior uſus,
Ganea delectat, conſumit & alea noctes;
Credas, argento confecta pecunia vino

12 Ad bella multi pergunt, redeunt pauci. Hi qui militari licentia vivere aſſueti communi jure in patria vivere haud poſſunt & tanquam odio habentur deſpecti, niſi jus ponant in armis, ideoque timeantur.

Adſit; namque cito diſpergitur acta volatu,
Ad caſum tabulæ poſitâ cum luditur arcâ.
Hæc ſatis eſt nummos diffundere, quod chlamys uno
Jactatur puncto, lorica, & baltheus ipſe.
Non magna eſt thoracis ei jactura; lacernæ
Eſt levior; quoniam baculus fit pænulæ adinſtar,
Et minus æſtivi torquetur ab igne leonis.
Gauderet tamen egreſſus modo miles ab armis,
Donatus rude, donatus calcaribus, auctus
Victorum titulis, veterani clarus honore,
Si quiſquam bello exiret non vulnere læſus,
Si petimen nullum membrorum aut damna referret.
Sed minor eſt numerus, quam vel ſint oſtia Nili,
Vel Thebes portæ, reliquis vix vita ſuperſtes.
Si campum quiſquam, ſi recto in limine vites
Diſpoſitas habuit diſcedens caſtra ſecutus,
Poſt reditum denſis vel vepribus omnia ſordent,
Vel nec ſæpe quidem viſuntur longuriones;
Illic indecorè ſtabulant armenta; propinqui
Illuc conveniunt gregibus ſuibuſque coloni,
Et tandem communis ager quem negligat, aut non
Poſſideat Dominus, pleriſque incognitus, exter.
Quod ſi fert animus diuturnam vim prohibere,
Pro falce ut manibus ſclopus geſtetur & arcus,
Eſt opus, ut Marii renoventur bellaque Sullæ, [13]
Et ſua jura manu tueatur divite ab omni;
Namque ut turba canum conjurat in advenientem;
Hinc caput imminuat paſtori, cogitur, utque
Cornua vel vitulis confringat crura ſuperbis,
Aut occidat equas, quæ depaſcuntur avenas,
Aut aſinos corio exutos ſinat ire dolentes,
Et peſtis cives diræ exercentur ad inſtar.

Domini Senatoris Vincentii à Filicaia pro Calendis Januarii
Auſpicium felix ad Auctorem.

Janitor annorum, tibi ſunt ſi carmina curæ,
Sæpe tuas Nomio, Jane, reclude fores.

13 Civile bellum Romanorum quod deſcribit Appianus Alexandrinus, cœptum tempore Marii Arpinatis & L. Cornelii Sullæ dictatoris, vix expletum fuit tempore Octaviani Auguſti Cæſaris.

Cla-

Clariſſimo Eximioque Viro

JACOBO GRONOVIO

Humaniorum literarum Profeſſori Celeberrimo, deque ipſis optime merito,

SALUTEM

Argutus inter Academicos Concordes Claſſis.

CUM *Piſis ambo eſſemus, frequentem miſcuimus dulcemque ſermonem, ac duraturæ neceſſitudinis, quæque nullis locorum dirimi poſſet intervallis, ſtruximus fundamentum. Jam grandior ego natu, te optimæ ſpei juvenem venerabar, eumque fructum cernebam in floribus, quem nunc Europa omnis maturiori tua in ætate colligit, literæque tum Græcæ tum Latinæ Muſæque omnes deguſtant. Quapropter non abs re putavi meam* XI *Satyram tuo nomine inſcriptam ad te mittere, ut à te accipiat illud ornamenti, quo caret. Tu memorem in ea complectere amicum, & ama fidem meam, benevolentiaque antiqua non indignum exiſtima ſcriptorem obſequii erga te plenum. Vale.*

AMI-

AMICO VETERI,

Seni & Poetæ Eruditiſſimo ac Jucundiſſimo

S. P. D.

JACOBVS GRONOVIUS.

QVAM *mihi lauream nectis, dum Satira tua, prorſus elaboratiſſima (ſed cui utinam non iſta materia potuiſſet ſuppeditare tantam ubertatem!) nomen meum & præſcribis & inſeris, eam ſatis glorioſam agnoſco. Sed utcunque ſit, ego hanc legens potui redire in præterita, ut te in veſtibulo Collegii Sapientiæ Piſanæ ſpatiantem ex area Academica aut porticu nunc iterum ſuſpicerem non minus quam revererer. Hoc oculis & animo feci ſæpe; verum quia tegebas ſane has prælautas ingenii tui divitias, nequivi ea efficacia cultum meum exſerere, quo iſta quidem digna erant, interim ſanctiſſime fovens pro vero, quod de te Petrus Adrianus vanden Broeke tunc effuderat*

Ingens Pegaſidum columen, Federice, Dearum
Cui proprio Charites ore dedere loqui.

Id enimvero nunc rebus probas fuiſſe ex lauro dictum. Quis igitur malus Genius & iſti Academiæ invidus excuſſit inde tantum decoris & ornamenti, quod ex te percipiebat? An in te quoque ſubodorari debeo validas robuſtaſque fuiſſe Curculionis calumnias? Quid multa? Video, Vir Doctiſſime & cum bono publico nate, quam rem agas. Sint fata poſthac mundo tam propitia, ne denuo in iſtum impingatur ſcopulum, & nos vel ex ſimilitudine caſuum amemus; interim Arguta tua fiſtula diu cantet, & Apollini Nomio placeat! Lugduni ad Rhenum Cal. Martii CIↃ IↃ CCI.

De

De Injuſtitia ſub Optimo Principe.

SATYRA VNDECIMA.

Fixa, Jacobe, altis clamoribus aſtra ferirem;
Sed ſileo, & tacito ſub pectore murmurat ira,
Et dicenda ſimul, ſimul & reticenda volarent.
Naturâ eſt flava ſuccenſus bile Poëta
Quilibet, inſanus, temerarius atque pericli
Spretor, amans rixas, rabie ſtimulante leonis
Concitus, & rectum averſatus iter; ſibi monſtra
Bellandi cauſa fingit, ſibi dira Gigantum
Corpora vel furias obſcuro pandit ab orco.
Hoc novit triſti ſuſpenſus morte Lycambes;
Hoc alii: Aſt hodie preſſis in corde ſilendum
Eſt odiis, vita & vivendum cuique beata.
Cum tamen in te priſca fides, ſanctæque ſorores
Hoſpitium teneant, ſacris cur auribus illud,
Viſceribus clauſum quod obeſt, committere ſpernam?
Hoc melius certe eſt, miſero quàm carmine duris
Stipitibus calamiſque ſuas narrare querelas,
Ut regemque Midam reſonentque Amaryllida feſſi.[1]
Non ego ſum medicus, non chymicus, aut Babylonis[2]
Qui tentem numeros; ſed longis doctus ab annis
Naturæ verax pando ſecreta latentis;
Pando quæ mundum denigrant crimine, quæque
Jam progreſſa modum Jovis alti fulmina poſcunt,
Templa, Magiſtratus, Divina Humanaque jura
Teſtor vos, teſtor quodcumque eſt numen Olympo;
Te princeps Geniumque Tuum, quo ſanctius eſt nil,

Nil

ADNOTATIONES.

1 De Barbitonſore Midæ Regis nota eſt fabula, qui ſub terra latens clamabat, quod ille aſininas aures haberet, unde vocales cannæ natæ ſunt. At de amatoribus qui in ſylvis nomen iterent amaſiarum, ita ut Echo reſonet Amaryllida, docet Virg. Eclog.

2 Medici, Chymici, & Aſtrologi dicuntur ſcire ſecreta naturæ diverſis modis.

Nil æque juſtum, teque ô Reſpublica; quonam
Spectandi mores populis exempla tot annis
Nunc abiere? piis quid nubis mentibus obſtat
[3] Tam claris olim? ſit plena licentia veris,
Ut vexare caſas, & ſe ditare rapinis
Aſſueti præſint rebus? Quî lucidus ordo,
Quî meliorum negligitur jam norma legendi?
Vos amor in caſtos, vos juſti tangit & æqui
Cura, nihil fœdum vos inquinat, unaque virtus
Impellit; ludunt ficta ſub imagine vulpes,
Decipiuntque lupi venientes pellibus agni.
Hi glubunt, lacerant, noſtris hi carnibus ore
Sanguineo pingues corrumpunt optima rura,
Deſertas agitant urbes, tantaſque ruinas
[4] Accipit una domus, ſpoliiſque inſector opimis
Et titulis auctus graditur prior Ingenuorum
Arbitrioque regit Patrimonî pondus obeſi?
Quid ſævire juvat? Cenſus corradere parvos
Quanti eſt? ſi liceat grandem ſibi ſanguine noſtro
Tingere conſpicuas phaleraſque togaſque ſenatum?
Ruſticus urbano decoretur ſyrmate? forſan
Ingenium meruit, vigilantia poſcit, & acris
Vis animi; potuit ſemper fortuna, poteſtque
Has afferre vices; poteritque comes virtutis:
Sed quoſdam, ſæcli natos incommoda noſtri,
Deriſus populi, dictis & rebus ineptos, [5]
Quis caſus tollit? Sellas onerare curules
Cur placet? & ſcribis quandoque excire cachinnos,
Et conſulta Patrum vileſcere Conſcriptorum?
Hos decet æternas hominum componere leges?
Hos decet imperio commiſſas flectere habenas?

More

3 Semper Italia habita fuit, eſtque hodie exemplar ſervatæ Juſtitiæ; & ſi aliqui eam denigrent aliquando pravi miniſtri, in quos ultor enſis, dummodo appareant vitia eorum, diſtringitur.

4 Qui ſit iſte inſector notum eſt, & ideo plura non oportet afferre.

5 Aliquando tenent Magiſtratus quidam, quorum non quadrat gradibus ingenium, faſcibuſque prudentiæ.

More Lycambæo maledictis crimina novi
Adſpergi. Excuſet tamen hoc; Quicumque dolore
Tangitur extremo ſupremas mittere voces.
Abdere ſe teſquis, ſoluſque in montibus altis
Errare, aut potero diverſos fingere ſenſus?
Dentibus obductis, labiis pro ſepe locatis
Verba diu cohibere licet, ſed tollere juris
Hoc nequeunt homines. Tandem clamare neceſſe eſt.
Omnibus haud monimenta viris Carthuſia ſcripſit,
Nec decet, Hipponax aliquis reperitur, & ille,
Qui non eſt fiet; Præſens injuria cogit.
Fratribus hoc etiam craſſum geſtare cucullum
Queis mos, & nudis qui pergunt cruribus, altum
In primis laterem domibus ſuſpendere, cordæ
[6] Quem pulſu feriat veniens agiliſque tigillus
Concurſu blæſum cuſtodi everberet ictum.
Ergo lacu in piceo dum volvor delitus, ipſe
Non loquar, & moriar? nullaſque ſtipes expoſcens
Eſuriam? Gravis eſt amentia, qui perit undis
Ni ſibi quærat opem, vel qui conſumitur igni.
Exclamare lubet, lacrymis ſimul ore rigando
Frendere: Sum læſus; nobis qui damna pararunt
Dente peti ſaltem timeant, ubi cætera deſint.
Hoc Natura genus vindictæ cuique reliquit.
[7] Obſidione videt Trojanos Hecuba muros
Præcingi, & plorat, mœſta & ſuſpiria fundit,
Hectora raptatum ter circum Pergama cernit,
Et Priami jugulo Pyrrhæum immergier enſem,
Se famulam duci regique trahenda ſuperbo
Penſa manu, triſtis dum victima nubit ad aras
Filia, victorem ſponſum ſub manibus imis
Amplexura, manet muliebri ſed tamen ore.
Ut vero aſpexit Polydori membra perempti

Licto-

6 Hoc ſolemne eſt in Cœnobiis nonnullis tegulam pro campana habere feriendam Tigillo prætenſo.

7 Fabula Hecubes notiſſima eſt, & canina rabies eſt portentoſa ſuis in effectibus.

Lictore Threjicio, nimis aucta injuria rupit
Frenà doloris, homo quem poſſet ferre, Caniſque
Facta repente, canis rictu latravit, & ipſum
Unguibus aggrediens laniatum dente reliquit
Latronem Generum: ſonuerunt aëra circum.
Fabula nec debet credi hæc; namque arte medendi
Qui ſapiunt, rabiem quandam poſuere caninam,
Et vultum ſpumâ conſpergunt protinus ægri.
  Ad citharæ priſcæ redeamus fila, Jacobe;
Nam tragico ſatyram præſtat differre colore;
Ipſe feras, ſonitum ſi quando eduxerit ira
Concordem ſimilemque ſibi. Me lædit inermem,
Ultro me lædit, lædit nil tale merentem
Ille, eſt Perſephones qui nunc Rhadamantus in aula;
Conjurant alii ſecum. Decreta novantur,
Si nihil injuſti redolent: diverſa videntur
Eſſe animi vitio ſectari prava jubentis;
Eſſe quid inſolitum, ſi commentaria rerum
Geſtarum uſque modo videantur, ſicuti corvis
Si forte albus olor miſcetur, ſive columba.
Inſontem lacerare pium, vexare pudicum,
Torquere indignum mos eſt, & ſanguine paſci
Innocuo; neglecta fides, pietaſque jacere
Cernitur, innixam retinent tabulata ſecurim;
Juſtitia admitti poſcens terit uſque columnas,
Aut tarda amplectens ſubſellia protrahit horas.
Nulla parte vacat lædens Injuria Divam,
[8] Solvendumque boni pretium, quod magna nequivit
Pars populi certo conſumere temporis actu;
Vel quia crudelis morſu ſtimulavit acerbo
Pauperies mutare ſolum, diroſque Graviſcæ
Ferre lacus; vel mors votis lacrimiſque vocata
Sæpius, in miſeros tandem demittere crines
Annuit ante manum, indulgens finire labores;

Inde

8 Cum primum ad aures Sereniſſimi Principis hoc genus lædendi fidos ſubjectos pervenit, motus miſericordiâ omne debitum dimiſit. Oh ſpectandam regis pietatem!

Inde alii penſo, quod jam traxere, diurno
Addere digreſſi coguntur pondera vulgi,
Donec non digiti valeant, non ſufficere armi.
Quod jus hoc patitur? qui non obvertitur ordo
Civilis? numen quod non offenditur ergo?
Quæ lex non clamat? lex? immo mos populorum
Qui vel Riphæo perterrent ore ſub arcto?
O Regem! o ſanctum Genium! fruſtraque Deorum
Conſimilem menti; acceſſurum pondus Olympo!
Quid tua nos bonitas, operoſum & velle juvabunt,
Hæc tibi ſi radios conſpurcat ventre Celæno?
Ad te confugimus. Sed quando querela minorum
Regales rauco perſtringit murmure fibras?
Obſiſtit valvis, ne repant, fauſta Potentum
Aura, Jovemque preces flexuras imbre moratur.
Donec tu nullo noſcens hoc jure tueri
Sponte levas miſeros, Belga renuente Procruſte.
Cœleſtis Pathmu exilio viſa ira Johanni
In phialis; nam ſera venit vindicta Tonantis,
(Sed ſpero, haud iſtis luituros facta nepotes,)
Et cunctata diu, tandem fractura repente eſt
Gibboſoſque ſinus longaſque moras collorum,
Et ruitura furens, ut roſæ vipera matris
Erumpit gremio. Divinis naribus eſt jam
Ehu nimium gravis, ehu nimios tolerata per annos!
Una regit mundum immutabilis, unaque ſemper
Provida cura Dei, placido & movet omnia nutu.
Sunt Reges vivens lex, ſunt & imago ſuperni
Auctoris, lucerna, jubar, fax fulgida nocti
Vincendæ aptata, Aſtrææ pedibuſque ducatum
Præbent, inque viam greſſus revocare labantes
Eſt ipſis operæ pretium; quare niſi curent
Ut vigeat virgo terris, quæ venit Olympo
Ex alto rediens, pœnaſque & præmia reddit,
Jam non ſunt Reges, jam ſunt Dionyſius & jam
Arcendi, ut viles doceant mercede togatos.
Ergo Cambyſes Cyri generoſa propago,
Quem ſacra ſublimem celebravit pagina Regem,

Præſidis exemit corium, reliquiſque timorem
Incuſſurus, eo ſedem, qua filius alta
Jura dabat legeſque viris, obtexit ubique.
Oh mentis ſuperum doctæ ſermone Deorum
Conſilium præſigne! Putas formidine captum
Judicis arbitrium, quoties raptura fuiſſet
Æqua manus calamum? Cenſes quod ſanguine paſci,
Ut mos eſt aliis, optaret hirudo clientum,
Aut Patris exemplum retineret tramite amuſſis?
Non ego tam ſævi renovari arcana probarem
Barbarica horroris; mortis frons oſſea terret.
Id tantum vellem, ſpatium per menſis, obortis
Litibus, ut limen premerent crudele, ſeveras
Orarent aures; ſurdum lentumque tribunal
Poſcere cum precibus deberent, Juſtitiæque
Implorare auro gaudentem fletibus enſem,
Et male nummati patria de ſede remoti,
Cum Boreas triviis bacchatur, cum gerit Auſter
Nimboſas pluviis hyemes, madiduſque minatur,
Cum ſol æſtivas funditque Canicula flammas,
Ire citos pedibus, totamque errare per urbem
Oſtia pulſantes rabularum, vel fora ſæpe
Quæ tenet Aſſeſſor poſtrema in parte viarum.
Vellem expectarent, qui lites inchoet, annum;
Vellem mille moras paterentur, dum Cane ludit [10]
Candidus & Fuſcus; dum micturit acre Macrinus,
Certior & fio, pietatis quiſque Magiſter
Prodirent, mens & trucior fullonis iniqui, [11]

Si

10 Iſta nomina ſunt nota, & iſti referuntur honoris gratia, cum ſint vere laudandi; ſed tamen neceſſe eſt etiam ſub optimis Judicibus in longum procedant lites.

11 Fullonis iniqui. Idem eſt fullo qui ſuperius dictus fuerat Infector. Purgantur enim primo lanæ, tum tinguntur diverſis coloribus, & ideo utroque loco notatur aliquis vili lucro aſſuetus olim, qui fortunæ favore eo pervenerit, ut primus habeatur. Quis ſit potiſſimus, alii dijudicent, cum ſciamus ex Petro Ciacconio plures etiam ad ſacras Purpuras, & ſi quid ſupra eſt, à mercatura, immo officina, ubi nihil poteſt eſſe ingenui (teſte Cicerone Officiorum

pri-

Si non docta magis, fortaſſe humanior eſſet,
Et ſicut Domini reſidet clementia corde,
Sicuti per varias animum virtutis alendum
Fert ſine pace vias magnumque & rebus honeſtum;
Quo nil optaſſent melius pia vota Quirini;
Poſthabitis lucris, aurique cupidine prava,
Et quæ nil proſunt ſolatia taxillorum
Et ducti in longum cyathi menſæque peremnes
Spernentes, nos, quam vellent ſibi, lege juvarent;
Nec plateas denſo miſerorum cernere cœtu,
Obſeſſas plauſu exciperent, lacrymiſque dolentum
Gauderent, læti hos macie tabeſcere lenta.
Fabula narratur, geminos ſumpſiſſe leones, [12]
(Imperioſa fames juſſit, quâ majus habere
Tormentum Siculi nullum potuere Tyranni.)
Officium felis, lacerare ac unguibus apros
Et cervos ſolitis, totidem ſibi carpere mures
Indignam impulſos prædam rictuque minorem;
Jamque bolum ex miſera meditantur carne molares;
Tantillo at guttur globulo mœret pudibundum,
Quando alter petiit, verbis ut quinque liceret
Effari, hocque dato, tanquam de Quintiliani
Exiſſet ludo, oravit; fecere diſertum,
[13] Guaſconi in morem capti, timor, ira, periclum;
O tu qui Regis decoratus nomine gaudes,
Viribus immenſus, ſublimis mente virili,
Et pulcher facie, ſpectandus pelle, jubiſque;
Cujus ad imperium veniunt animalia ſponte,
Cui laudes primæ ſuccedunt forte ſecundæ,

primo circa finem) perveniſſe, pervenire, & perventuros. Teſtatur Jo. Villanius hanc dediſſe divitias Reipublicæ Florentinæ, & hac minuta imminutas eſſe videmus. Vivant ergo Mercatores in ſuis mercibus occupati, ſed non ſutor ultra crepidam audeat.

12 Fabula hæc refertur etiam ab aliis, & eſt valde congrua. Vide Æſopum.

13 Hic Guaſconus fuit vir patricius Florentinus, natura ſua blæſus, qui captus ſimulcum Rege Anglorum & moriturus, pro ſe nullo linguæ impedimento in eo rerum articulo diſertiſſime oravit, liberque evaſit Bernardinus nomine.

Quem qui cunctarum præconia celſa ferarum
Conjungit minimis tangit, faſtoſque tuorum
Colligit exiguos; ô qui non ſæpe rogandus,
Non multis verbis propria ſit pro generoſi-
Tate animi; à quo grata venit, quæ gratia ſurgit,
Neſcis, quod Pietas eſt, quod Clementia ſceptri
Ars? Neſciſque viros lectos ſuper aſtra fuiſſe,
Moribus ut ſanctis præſtarent, dotibus omnes
Egregiis ſuper & claris virtutibus irent?
Sic facerent populos tranquilla in pace beatos,
Nec qui plus poſſent, premerent raperentque puſillos
Juppiter in terris Rex eſt; tu Juppiter eſto,
Me ſerva, & noli officium corrumpere Regis.
Turpius hoc quid erit, ſi perdat ſubdita regna,
Si laceret gentes, quibus eſt parere neceſſe,
Sceptri & majeſtas augetur, dum famulantur?
Invidiæ cuiquam ſi ſit tua ſumma poteſtas,
Hæc referet. Grande oh! facinus, quod fama loquatur!
Comminuit miſerum Leo Rex, qui crimine nullo
Inficitur; nullaque reum ſe labe profanat:
Sed qui vel minimi expavit trepiduſque refugit
Objectu poſtis, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa timor, ſanguis ſinuoſo & fonte coivit.
Si foret in ſylvis elephas perimendus apertis,
Si coluber ſquamâ viridis viroque petendus,
Si virtutis opus certamen; forte necatus,
Saucius aut recubans maculaſſet prata cruore,
Prædatorque ferus formicis præda jaceret.
Inſuper infirmam ſi quando fortior urget
Bellua, cœleſtes injuria tangit, & enſem
Armat in ultrices rutilum Rhamnuſia pœnas
Pœnitet ac fruſtra fontem omnino moriturum;
At contra nocuit nunquam virtute juvare;
Namque bono eſt operi merces ſervata Deorum.
Quod te, ſi quando (avertat fors omina) ſi te
Inſidiis tereti venator ſub laqueo obdat,
Jamque inimica tuum feriant venabula dorſum,

Vilis ego quamvis naturaque exiguus mus
Eximere è vinclis potero vitamque periclis
Arcere hoc minimo & nullis hoc dente verendo;
Quod tibi polliceor, quod per tua numina juro.
Aures dat bibulas Leo primus ſic rogitanti,
Proſequitur venia, & verbis hæc inſuper addit:
I referant ſuperi grates, quas non potes ipſe.
Maluit aſt alter parvâ nutririer eſcâ.
Captus uterque leo laqueis poſt tempora parva:
Et ſuper adventans demiſſus jam pridie mus
Hæ poſtrema dedit fraterno verba latroni;
Nunc morere, ipſe plagas renuo contingere dente;
Sed ſervatoris confringam vincula; Cerne,
Cerne, tua hanc mortem crudelia facta pararunt.
Ergo leo exultat liber, grateſque rependit
Alter, & alterius ſpernit pro cæde dolorem.
Urbanus ſi vivat homo, ſi ruſticus agrum
Effodiat, diverſus homo haud eſt, unaque format
Mens ambos, meritis cœleſti in ſede locanda,
Aut nigro æternum crucianda in ſulphure Ditis.
Peleides nihil ac Irus poſt funera diſtant, [14]
Et fortaſſe Diis eſt charus homuncio plus quam
Dives in auratis ſpoliis, & clarus in oſtro.
Fictilibus vivens vaſis componitur aptê,
Et ſi ingens aliud videas aliudve puſillum,
Sunt figuli labor, & ſpes utraque: poſcitur uſu
Hoc & ſæpe illud; Totus non labitur annus,
Quin, ſi frangatur, noceat jactura minoris.

14 Hoc tradit Homerus in Odyſſea. Hac in Satyra vellem, ut animus reſpiceretur ſcriptoris, non verba notarentur. Scit ipſe optimos eſſe Principes, calamoque & ore ſemper celebrat. Utinam ſic omnes; utinam Regi ſimiles miniſtri; tunc aurea Saturni ſæcula nobis optanda non forent, nimia ſiquidem frueremur felicitate. Verum nihil eſt ab omni Parte beatum.

Eruditiſſimo, Doctiſſimo Clariſſimoque

VIRO

De Græcis Latiniſque literis optime merito

JOANNI GEORGIO GRAEVIO,

Publico Eloquentiæ Profeſſori ſummo

S. P. D.

ARGVTVS.

NIL *intentatum noſtri liquere Poëtæ, ſcripſit Horatius, & puto de hominibus ſui temporis veris conſona enunciaſſe: in omni ſiquidem genere Poëſeos laboraverunt; non tamen innocenti Satyra ludere, quod viderim, didicere. Ridet ille ipſe, ſed ridens vulnerat. Innocentiam nos & huic Muſæ conciliare niſi ſumus; an cum aliqua laude conſilii noſtri propoſitum fuerimus aſſecuti, te judicem facimus hortatu viri prudentiſſimi inque omni litteratura ſummi Antonii Malliabechii: Te facimus, inquam, veluti primum in Arte, veluti illum qui cuncta legeris & Græca, & Latina, ad ſuumque candorem depravata & mendoſa redegeris. Quod ſi ceras Attici extimeſcebat Cicero, nihil eſt, quod fugiam tuos tranſverſos videre obeliſcos, antequam publici juris mea fiant. Tu Quintilii verbis, Corrige ſodes, quæſo, me admoneas, ut caris hoc modo humanitatis me devincias officiis. Vale, vir virorum ornamentum, atque iterum Vale.*

Non

Non eſſe deflendas diuturnis lacrymis uxorum mortes

SATYRA DVODECIMA.

VNDE eſt, humectet tanta quod vi lacrymarum
Caſſander lectum, comitetur triſte feretrum
Uxoris, fugiatque ſuper producere vitam?
Nullius eſſe oculis diuturnus funere debet
Carorum luctus; Finis nam carceris eſt Mors,
Elyſiis & qui gaudet jam ſpiritus oris,
Fletibus indignis, demiſſâ iraſcitur ulnâ.
Si queritur propriam ob cauſam, ſe diligit æquo
Plus; timidus plus eſt æquo, fugienſque pericli,
Si nuptæ cauſa vexant ſuſpiria pectus,
Non meminit factum Bithonis, non probat ipſum [1]
Iſidis indicium, non magni exempla Catonis;
Interitum neſcit pietate Trophonius, atque
Obtinuit priſcis Agamedes temporibus, vel
Ibit in inficias, angoribus hunc medicinam,
Et cunctos unum vitæ lenire rubores?
Hunc & Anaxarchi ſubducere membra Tyranno, [2]
Attiliumque cruci invictum Carthaginienſi?
Sed ſi utraque dolet cauſa, natura quod ingens
Mater & inſtituit Deus ut melior Natura,
Accuſat, falſo vulgi deceptus amore
Gaudendi oblitus, dum turpis vita recedit,
Quæ procul à veris homines ſummiſque moratur.
Nam Patria eſt tandem, vinclis ubi carnis, ubique
Completis curis, animus requieſcit Olympi
Sedibus inſertus, terræ nihil indigus hujus.
Cum data ſit duplex viventi portio, noſtris

ADNOTATIONES.

1 Bithonis, Trophonii atque Agamedis notæ ſunt hiſtoriæ, qui cum peterent quod magis homini conducit, impetrarunt mortem.

2 Anaxarchus à Tyranno contuſus in pila, Attilius Regulus male tortus à Carthaginienſibus notiſſimi ſunt.

Senſibus infirmis quæ ſubditur altera frenis
Conſilii, frenis Rationis & Intellectus
Compeſcenda, & eam altera quæ regat, ac dominetur,
In qua primatum Prudentia cuncta videns quæ
Nata fuere prius, quæ ſunt, & erunt, niſi, rerum
Ordine mutato, leges natura reſignet;
Cur potius ſeptus, quæ ſunt ſpernenda requirit,
Erroris nebula? votis nocitura petuntur,
3 Cum quis Cumanæ depoſcit virginis inſtar
Pulveris accepti numero complectier annos:
Quippe eſt continuis, eſt longis ducta ſenectus
Plena malis; Placet una nihil ſi fœmina canis
Prodeat è lecto furiali more capillis,
Pendenteſque genas ſulcent diſcrimine rugæ
Ingrato, & nullis armentur dentibus ora,
Ut ſit mandendus gingiva panis inermi,
Caſtanea & toties bucca revoluta ſpuatur.
Præterea torpet dum totus corpore ſanguis,
Vix remeare poteſt ad orexin cordis alendam,
Vix vires reparare novas ſub fonte peremni;
Inde eſt, quod pigritans uxor vel triſte moretur
Sellarum pondus, vel ſpurcet cuncta catharro,
Vel premat æternæ madefactum fæce cubile
Urinæ gravis ipſa viro, natiſque, ſibique.
Quare olim ſapiens cecinit, ſi verba recordor,
Mors hominum felix, quæ ſe nec dulcibus annis
Inſerit, eſt ſiquidem morborum tardior ætas
A grege preſſa atro, nec habet niſi morte levamen.
Vellet Caſſander ſociam rerumque torique
Febre calere phthiſis lentâ, quâ vidimus Albam
Abſumi, morbo dum ſparſus pallet eodem
Natorum plebs, & quiſquis naſcetur ab illis
Contrahet hanc labem? vellet tentigine vulvæ
In furias actam nullo velamine, nullis

De-

3 Cumana Virgo Sibylla dicitur à Phœbo pro virginitatis raptæ præmio obtinuiſſe tot annos, quot erant grana pulveris quæ pugno claudebat.

Detentam vinclis, per collum crine ſoluto
Errare in triviis, turpem vocitando Priapum,
Novimus ut Gallam; fulciret ut incuba, vellet, [4]
Cruribus intortam, vel fractis ordine coſtis?
Julia quem caſum expectat, ſi Gallica peſtis
Non prius exolvat jecur, & necet ulcere roſum.
Aut vellet potius vetulæ cornicis ad inſtar
Viveret incertoque domus clangore ſubiret
Turbata & nullam pateretur adeſſe quietem;
Quod Billona facit feſſis odioſa propinquis,
Toti infenſa urbi, maledictis undique pulſa,
Utque puto ſaxis, nedum ferienda cachinnis.
Quid cuperet, promat: viridi pereunte juventa,
Fallor, an exoptare nihil muliercula debet.
Ergo poſt ſeptem ſi à vivis luſtra recedit,
Hæc ſors à pronis venit gratiſſima Divis.
Quare pro lacrymis ſupplex flexurus ad aras
Eſſet utrumque genu redolentes meſſe Sabæa;
Turgidus at cœtum quoties ingreſſus ocellis,
Grandia ſub triſti mittit ſuſpiria bucca;
Quis ferat excelſa moderantem è gente ſenatum,
Quis ferat exemplis populos urbeſque regentem
Eſſe animo pueris indigno, molliter acto
Languenti in ſubitis, dantem angori imperiumque?
Quid ſcripſit Juvenalis? quod flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri nec vulnere major?
Quam leve ſit vulnus, doceant monumenta priorum,
Scribitur Æneas pietate inſignis & armis,
Quum fumaret humo tandem Neptunia Troja,
Inter ploratus Hecubæ, ſubitoſque tumultus
Aſſaraca exutus priſca de gente Creuſa;
Quæſitamque diu medios per tela, per hoſtes,
Deſeruiſſe tamen contentus imagine fluxa;
Ex illoque deinde die nihil ora querelis,
Nil turbaſſe oculos, amiſſa uxore, nitentes;

4 Incuba dicitur lignum quo fulciuntur pedibus laborantes, Etruſcè Gruccia.

Immo ubi ſub muros venit Carthaginis altæ,
E terræ egreſſus nuper pelagique periclis,
Se rurſus Tyriæ implicitum Didonis amore,
A Venere exortum oſtendiſſe, nec averſantem
Illius à donis. Latii compulſus ad urbes
Fatorum ductu; Placuit Lavinia Virgo,
Cumque iſta junxit thalamos ſibi Marte paratos.
Caſſander fruſtra conſumit mucidus annos,
Ac ſi poſt unam non ferret Roma puellas,
Nec leges Hymenæi ullæ lectique ſuperſint.
Quod ſi vota animum non tangant uſque ſecunda,
Quantula poſtremo facta eſt amiſſio? nodis
Jucundum ſolvi: Junonis numen adoret
Cœlicolum Dominæ cui Vincla jugalia curæ,
Fortunæ & fano fractas ferat ille catenas.
Sed ſcio, quæ reddet quamvis hæc vera loquenti;
Jam mihi contigerat generis Matrona ſupremi,
Unus erat nobis animus, cor, una voluntas,
Quid magis optandum veterum conſcribitur ulli?
Illius & placido Genio plaudamus, & omnis
Contento ſpecie bonitatis, nec cupientis
Ultra quam liceat mulieres ferre marito.
Quod ſi quæſiſſet; ſeſe de millibus unum,
Se conſpexiſſet communi lege ligatum.
Huic uni ſponſus ſuffecit? Credimus illi.
At quot plura Argo patefecit lumina fronte?
Quot plures Tereo potuit ſuccendere noctu
Explorando faces capſas, ſanctumque cubile
Caſſander? ſervos & cuſtodire fideles?
Non oculis captum ſeſe vicinia novit.
Hoc bene; ſed nullus ſuperaſſe in fraudibus & nec
Literulis aditus poterat? non ulla petebat
Triſtis anus, nunquam Cybelejus ſemivir ædes?
In choreis nunquam fuit? ad ſpectacula nulla
Proceſſit? feſtis fugit celebrare diebus
Templorum ritus? forſan latet anguis in herba.
Sæpius intravit thermas; cognovimus omnes

Ful-

Fulſiſſe in gemmis peregrinaque vellera Serum
Conſtruxiſſe peplum; Perſarum fundere odores
Gaviſam; manibus gypſatis Bætica pelles,
Et dedit à noſtris ſejuncta Britannia mundum;
Lemniſcos capiti pictos, Medaſque tiaras,
Tunica non uno & phrygiata amenta colore.
Ornatus petiiſſe iſtos placitura Θαλασσῷ
Creditur; at repolita cutis, quod ſordeat intus
Perſonat occluſum; & quæ, quem numina vultum
Conceſſere, probat, me judice, laude meretur
Extolli, pigmenta docent fraudeſque, dolumque
Propoſitum abſcondi, ne factum ſpurcius addam.
At ſolam Cajam ſi cenſuit ille pudicam,
Invidiam movit multarum. Quid fuit uni,
Quod reliquæ haud habeant? ſuperaddita dona Deorum
Oſtendenda forent, aliis aut par reputandum.
Et ſic ipſe novam potis eſt inducere nuptam,
Vel levior jactura fuit, reparare valenti
Si non eſt animus reparandi; ſi volet annos
Arguere elapſos, quibus aptior uxor habetur.
Cur ergo auferri non aptum jam ſibi deflet?
Nil magis eſſe poteſt infeſtum crede jugato,
Cujus ad extremam jam vergat plenior ætas,
Quam viridem pupam complecti; pectora torquet
Irrequieta timor. Si flectit lumina, ſemper
Exquirit mœchos. Si ſcribit, epiſtola mœchos
Sollicitat. Famulis ſi dat mandata, petuntur
Nocte intempeſta mœchi. Quis pharmaca poſſit
Hippocrates meliora dare, aut meliora venena,
Quam mors? una valet nos ſolvere ſuſpicione.
Denique ſi queritur, nulla quod prole parentem
Fecit; habet cauſæ minus iccirco, unde queratur.
Libera Bavini cur conjux frena reliquit,
Poſſit ut arbitrio vulvam committere Flacco?
Infœcunda fuit, nihil ergo crevit amoris.
Neſcio ſi, calvo quæ vidit Roma Nerone,
Innovat hæc rurſus connubia, maſcula rurſus

Si

Si redeat Venus, è Galla fiatque Batyllus.
Publica, rumor adeſt, hoc crimen in acta relatum,
[5] Atque tori leges mendax Tharviſia ſolvit.
Filius extincta ex hac ullus dæmonia haud eſt.
Communi utatur paſtorum ſcommate; Pacta
Tollitur omnino condictio morte juvencæ.
Non ita, quam retuli ſupra, Tharviſia; namque
In male nuptarum Princeps (orante marito)
Occludet ſeptis, nova lex, ſi portio detur
Pro victu ſolvenda ſtatim, aſt hac deficiente
Cogitur in portum Labronis conjugis ire
Fœta comes ritu Germanarumque Scytharumque;
Et gentis, Tigrim quæ potat: militis iſtud
Juribus addatur ſatyri calamo Juvenalis;
Attrahit uxorem, ſi vult, in caſtra dolentem;
Sed puto in excubiis ſolus præputia ducet,
Ni longa expectans poſſit jejunia ferre;
Aut intra impurum nummos jactare lupanar.
Quare Galla lues linguam corrodat, & inguen,
Regreſſique domum vix curent cauſtica ficos.
Haud Paphiæ Martes deſunt: Druidæque cucullis
Obducent, mater cælabit Lena nepotes,
Aut Medici evellent. Stultè ſervire dolori
Si Caſſander amat quod rapta eſt morte leæna,
Si mœrore cupit diduci, negligit ipſum
Se, fruſtra oſtendit, quod jam poſt terga reliquit
Quinquaginta annos, ſacræ præcepta ſophiæ
In Socratis quærens monumentis, atque Solonis.
Ehu quoties memini imperio, formaque potente
Flexiſſe invitum, meditantem carmina ſecum,
Ad Cypridis potius ſolamen, tempora quando
Non hæc apta ſibi poſcunt cunctamina ſenſus.
Muſarum inde minus forſan Phœbique ſacerdos
Enituit, tetigit forſan non culmina montis
Pieridum. Intermiſſa petens collegia, deflet?

O

5 Hæc Tharviſia eſt ficta; ſunt aliæ parum diverſo nomine ut Alba & Billona, & Galla.

O caput inſulſum! Dominæ ſe vincla ſuperbæ
Depoſuiſſe dolet, libertatemque ſenilis
Ætatis reparaſſe odit, pacemque recuſat?
Sæpius ipſe domum Caſſandri nocte petebam;
Adveniente, domi Caſſander erat, mihi carus,
Carus ego fueram, primis nutritus ab annis
Mecum Caſſander, ſtudiis lætatus iiſdem;
Et tamen, eſſe domi Caſſandrum uxore negante,
Inde abii triſtis. Cur neſcio. Gaudia forſan
Invidia voluit muliebri noſtra ſecari;
Aut moroſa nimis ſibi cuncta licere probavit,
Aut ſubduxit anum, quæ vellit forcipe villos,
Aut filo inſerto ciniflones, vel paraſitas,
Quas dimittendi velox properaverat hora.
Nulla fuit certè ſtudioſior unguentorum,
Nec fucamentis vultum magis obtulit, illam
Si excipias Cleopatram, quam nuper dedit Arnus
Antoni uxorem, Venenſque & Equeſtris amicam
Martis, ob hanc flores, fructus, & aromata piſces
Quadrupedeſque omnes poliendis carnibus eſſe
Vix poterant ſatis, & quicquid pariunt elementa.
Omnia quin faceret cineres, atomoſque minutos.
O ſexus vitium pravi! vos jure poteſtis
Dicere cum Flacco, Pulvis ſumus, umbra, nihilque:
Grandes ſunt ſubter caligis, mitraque ſuperne
Elata ordinibus variis: nil denique carnis
Conſpicis haud fictum; non pellis corpore toto eſt.
Verum ad Caſſandrum redeamus: flebit abunde
Conſociam, quam ſi noviſſet & in cute, & intus,
Nominibus ſtaret pro voto victima cæſa,
Verteret exploſum meliora in gaudia luctum.
Ut quando è caſtris avertit Græcia peſtem
Irato ſupplex reddens Chryſeida Phœbo.
Utque juvet, quamvis videatur potio amara,
Narra, Qualis erat, quod novit cæcus amore
Ille minus; narra ſecreta in parte remotus
Verbis ergo meis, ſenio quod proxima, quod jam
Un-

Undenas vidit ſegetes floreſcere campis,
Poſtquam triginta plenos numeraverat annos.
Dic quod ſæpe albos tinxit ferrugine crines,
Et pectus plumbo nigrum veſtire colorem
Cogebat, faciem ceruſſa ornans, minioque
Æquavit roſeis, quos fert Aurora caniſtris,
Imbribus, & quamvis oculos procera ſupinos
Duceret, incautos pellebat imagine falſa.
Se nunquam ſpeculo de conſultore peritam
Amovit; rugas nunquam explanare; capillos
Collo alios, humeris alios, ſub pectore quoſdam
Immixtos mammis errare errore carentes
Deſtitit, & pictas variè nunc quærere veſtes,
Nunc amat undatas, villoſi gauſapa plani
Nunc mavult, ſtudioſior aut modo moris Iberi
Aut Gallæ referens gentis modo mille quot annis
Mutatas leviter formas. Satis eſſe Philippi
Divitiæ ut nequeant pro luxurie muliebri.
Excuſat numerus tamen hoc, communis & uſus,
Aut ſi peccavit, cum pluribus eſt rea; nunquam
Aut cupida inſpexit corraſum fœmina cenſum,
Aut cavit prudens quanti ſibi gaudia vendant.
Sed quæ non lex hoc, quinam non improbat uſus,
Quod perdat ludens argenti pondera, quæ ſint
Apta ſatis domui paſcendæ? Quod ſimul ipſa
Mixta choro juvenum diſponat verba, saleſque,
Et cum majorum cupiat diſcrimine famæ
Argutiſque placere jocis, geſtuque procaci?
Hoc triſti memini Caſſandrum corde frequenter
Condoluiſſe; genas lacrymis maduiſſe ſubortis.
At potuit magis hoc exemplis perdita ſecta
[6] Ciinghellæ, hoc mage conſilium potuit, potuique
Urbis ab antiquæ digreſſa decore per aſtum
Regnantis primæ ætatisve licentia, ſtupris

Sic-

6 De hac Ciinghella Boccacius meminit in ſuo labyrintho amoris ſive Corbaccio. Inde multa ſumpta ſunt in hac ſatyra, unde ſecta Cianghellina ut Socratica Platonicatum in congreſſo Venetiis apud Bonſadinum p. 77.

Siccine adepta locum, nullo cenſore notante,
Quid? quod nulla loquax, qua non vocalior illa?
Et quoties lubuit garrire, Corinna Naſonis
Victa fuit, noſtri victa & Proconſulis uxor,
Quælibet & clauſtris ſenior conſtricta puella.
Noverat hæc, quot jam natas Noviburghius heros
Junxiſſet thalamo; cui nam; quæ lætior eſſet
Prole, toro quænam melius conjuncta jugali?
Noverat in pugnis quæ geſſit Noricus enſis?
Quis regno Anglorum melior ſit? Quis Pedemontis
Motibus eſſe queat finis? Germania quaſnam
In Turcas acies armet? Quot Gallia bellis
Suſtentet variis turmas? Quot navibus errent
Hollandi, aut Venetæ poterunt quo tendere claſſes?
Sarmata cur tandem cunctator? Moſchus avarè
Cur ſimulet? Perſas quidnam deterreat armis?
Quæ Scythicos moveat prædandi cœca libido?
Dacia quid ſatagat? quidnam Moldavia tentet?
Hiſpanos animos, Italas diſcernere vires
Audebat: noſti: & quantum iſta moleſta marito.
Non igitur ſiluiſſe juvat hanc funere Parram?
Quod ſi non ſuboles permanſerit ulla ſuperſtes,
Gaudeat, interdum melius quod adoptio ſupplet;
Et fraterna domus poterit jam ditior eſſe.
Liberiuſque frui diſcat Caſſander amicis,
Liberiuſque cluant muſarum culmina, fontes
Aonidum, dulces Socratis, ſacri Peripati
Congreſſus. Vivat ſibi denique, vivat Olympo.
Texat, poſteritas quod demiretur, adorent
Quod vates; nomen volet, & monumenta loquantur
Hæc, vixiſſe virum, quo præſens geſtiat ætas.
Uxor, quem dederat curſum fortuna, peregit;
Obſequio ſiquid meruit, perſolvit abunde
Caſſander; pro uſu factum ſatis eſt: Abiitque
[7] Debitus extremo pro luctu in legibus annus.

Ergo

7. Notantur infamia mulieres quæ tranſeunt ad ſecundas nuptias ante expletum annum qui dicitur luctus.

Ergo quieſcendum, à Dis & meliora petenda.
Dura nimis mollit tempus: quæ multa viciſſim
Mortali in vita variata ſorte moventur,
Ferre ita, naturæ ut pergas recto ordine, docti eſt:
Ut nihil à meritis diſcedas, pectoris iſtud
Magnanimi, fortis, robuſti, & jure virilis.
8 Nec decet, invictum ſi quem videre ruinæ
Lapſi orbis, vel frangat amor, vel dulcia tentent
Gaudia, fallaci ſatiataque melle voluptas.
Nominibus fictis vera hæc deſcripta videbis
Tu magne ingenio, tu ſanguine; qui omnia noſti
Senſa Latinorum, Grajûmque, ac extera; lumen
Qui ſcriptis, lumen rebus, lumenque Poëſi
Suppeditas, hominum jam maxime. Forſan & iſta
9 Urbe tibi occurrent Caſſandri. Uxorius eſſe hic
10 Non ſapere accepit, cujuſque cucurbita tantum
Collegit ſalis, ut Populos, Regeſque moneret.

8 Ex Horatio ode. Fortem propoſiti virum
— ſi lapſus illabatur orbis
Invictum quatient ruinæ. —

9 Uxorius dicitur ille qui nimis audit mandata uxoris, illique eſt veluti ligius. Horatius ode 2 primi libri vocat Tiberim amnem uxorium.

10 Cucurbira cum ſale. Antiquum dictum de homine ſapiente. Ideoque Academia Intronatorum Senenſium pro corpore erigit Cucurbitam, in qua ſal ſervatur cum lemmate *intus meliora latent*.... Cetera ſunt eruditis adeo pervia ut adnotari non ſit opus... Scribens enim Latine imperitis hominibus de trivio non ſcribir, & præſertim in ſatyra; ſiquidem quotquot habemus ejus generis antiqua aut recentiora, obſcuriſſima habemus; quod mihi innuit doctiſſimus Rota. Invenies paucos his temporibus qui ſaporem ipſius deguſtent, quippe tu bene miſces ſtilum Horatii, Lucretii, & Juvenalis. Legetur tamen cum ſuis laudibus, ſi plus ſapiet quæ venerit ætas.

Eruditiſſimo, Doctiſſimo & Reverendiſſimo Patri

DOMINO

BENEDICTO BACCHINIO

Benedictino, de literis ſimul & literatis optime merito

SALUTEM.

MIRABERE *fortaſſe, quod te in hac Satyra ſciſcitantem induxerim, quid agam in hoc ab urbe receſſu & fere exilio, quum verè nunquam ipſe quæſieris de me tanquam de nullius pretii homine. Sed mihi te nulla aptior viſa eſt perſona, quæ de hoc curioſius indagaret, cum de ſcriptorum laboribus tam diligenter afferas cenſuram, cumqùe totius terrarum orbis diu conſenſu in hoc lauderis. Idoneus ergo viſus es, & jure merito aſſumeris. Eoque libentius feci, quod ambo in eadem navi verſamur, ut remedia ſint communicanda, ſi quæ oportuna ſuccurrant; ſin minus, unâ voce utrique ſit de fortunæ injuria dolendum. Meum opus, vir ſumme, æquis quidem oculis aſpicias; quoniam me tui amantiorem habes neminem; tuam enim amplitudinem veneror, tuam diligo probitatem, conſtantiam cupio, eruditionem contemplor, virtutes admiror, doctrinam ſuſpicio. Vale, & centies vale bonarùm artium compendium.*

Se paucis minimiſque rebus contentum vivere extra patriam

SATYRA TERTIA DECIMA.

Bacchini, per quem decus eſt nomenque Minervæ
Clarius, & ſtudiis accedit gloria; quæris
Cur procul à patria, procul à virtutibus ipſis
Tres ultraque decem ſim ferme exactus in annos?
Quod ſcelus admiſſum? quæ me ſententia damnet?
Quis Minos fuerit judex aut quis Rhadamanthus?
Fortunæ hoc vitium, quæ turpes aſtra tenere
Vult pulſo Genitore Joves Venereſque nefandas,
Mercurios fures, Martes ſparſiſſe cruore
Gaudentes campos, Tauros, Hircos, Ganymedes,
Et multas, quarum concuſſit gratia pectus
Zelotypæ Junonis, & altà relinquere adegit.
Fortunæ hoc vitium, noſtro quæ ſeligit ævo,
Ut nobis regnent, dignos in gurgite remos
Tractare incurvos. Gravis eſt Eutropius orbi,
Vult tamen Euſebius veneremur: poplite ſupplex
Turba Quirinalis flexo, & Bagoa cathedra
Vectum muneribus ditet, vel forſan adoret.
Cur magni Marcus tumuit delator amici?
Cur manet in pretio Confus, quem perdere cives
Una tenet cura & cenſus corrumpit inique?
Cur lacerat famam ſpirans Gorgonius hircum,
Heſternumque merum ructans Antonius, exque
Profundens oculis, quum ſurgit manè popinis,
Arbiter eſt patriæ, Tyriæque Didonis ad inſtar
Jura ferens, legeſque viris? fortuna, fatendum,
Hoc jubeat? nolim, quæcumque amentia fecit
Fortunæ tribui. Nam ſi virtutis avitæ
Extaret quid, teſticuli ſi vena paterni
Viveret in nobis, ſatyrarum ſcriptor ut inquit,

Non

Non ferrum fruſtra penderet inutile pondus;
Aſt hominum tantum ſapiunt in damna Catones,
Et Bruti ſimulant nocituri fraudibus ipſis;
Pro patria nemo armatur, flammiſque Metellus
Nemo audet mediis pereuntes tollere divos,
Vel pietas larvata manet. Temone citato
Si volat ad templum Princeps, delubra repente
Spiſſantur Patrum turmis, precibuſque minorum
Saxa fatigantur; quod ſi diſceſſerit inde,
Ocia Dii peragant, amat ingens janua limen.
Scimus ad exemplum Regis componier orbem.
Sed ſolida eſt Regis probitas, eſt ficta ſuorum;
Illa Deos placat, movet hæc in pectore ſtrumas.
Defluat ergo mihi facies ſi lurida, ſi frons
Contraxit rugas, color eſt ſi plumbeus ori,
Flectitur in dextrum ſi lapſum tendine collum,
Aut femur, en Divis ero carus; ſin cutis alba
Splendeat effuſo per membra rubore, Tonantis
Fulmine tangendus, communi ſum prece & aris
Privandus, furiis nigro devotus & Orco?
Pulchra igitur ſpecies glaſtro fœdanda, crocoque?
Atque in natali poſcenda eſt ſuccula primis
Conſpicienda locis geneſi, Saturnus in ipſa
Cuſpide dimidii cœli, ne forma ſuperſit?
Magdala conticeat jamjam quid ſudat ad aras
Expoſcens natis quadrato in corpore membra
Succida, viva, ſibi bene reſpondentia, nulla
Fœdata ex macula, nullo turbata dolore?
Cur ſpeculum geritur Gallis nova ſarcina belli,
Atque capillitium lateris deſcendit ad imum,
Etſi jam pleno Catinati militiarum
Annis, caſtrorum toties incommoda ferre
Aſſueto, & tondet barbam, nutritque Toleti
Fernandus, quo non vidit gens ulla ſeverum
Ac rigidum magis uſquam cum Duce bellatorem?
Quum pater omnipotens animos in corpore noſtro
Strinxit compoſito, ſpeciei contulit omne

Quod licuit, ſimilis foret ut ſpectata Deorum
Forma, nec in brutis aliquod reperiret eidem
Non poſtponendum; ſic tactus amore frequenter
Juppiter, in terras deſcenderet, ac ibi pulchras
Poſceret Europam, Alcmenam, Semelen, Danaenque.
Nunc placet à Divis pro Divis vultus abhorrens,
Et deformis homo formoſus moribus eſſe
Creditur, ac ſi non, ſpecies interna pateret
Ex his quæ ſubeunt oculos, ut cernere ſignis
Collectas ſimul eſt merces mos, ſacculus utque eſt
Sarcinulis index vendendis, ut docet ipſe
Cantus aves, aſinos vox, ingenuoſque leones.
Æſopum quotquot Phrygium videre paratum
Scommatibus, macrum turpi gibbaque figura,
Bufoniſque oculis, & naſo Rhinocerotis,
Moribus inſignem, ſpectandum non habuerunt
Dotibus egregiis animi. Quid Socrate majus
Excoluit virtus? Quis erat præſtantior alter?
Atqui fronte legit conſpectâ, quod latet intus
Obliqui, aut recti, retulit de Socrate primum
Judicium, ac ſi eſſet reſpondens linea menti.
Nos quia Borrini macie, Vanniſque caremus
Triſte ſupercilio vitiis ſervimus iniquis,
Ut mœchi; ut ſcortatores lectumque alienum
Fœdamus maculis? diverſa vivitur ævo
Lege hoc naturæ? mutata eſt machina mundi?
Major Alexandro, forma ſpectandus amicus
Sit magis, hunc Regem merito Syſigambis adorat.
Nam Priami ſpeciem docuit Timæus habendam
In primis hominum donis; varietur hic ordo,
Mundus ad antiquum deforme, chaumque redibit.
At detur vitium hoc ætati, quis ferat iſtud?
Curculio regnat, quæ poſcit debita cenſet
Ac ſibi virtutis tribuit pro munere; Princeps
Indulget, quonam ſpernendus nomine non eſt!
Atqui ſumma fluunt ſibi nectare ſydera, divum
Subducto menſis, & ſemper lilia florent:

Me nunquam gerris commixtum, ſemper honeſtis
Aſſuetum ſtudiis angit, me deprimit, urbe
Excludit, ſociis privat, Muſiſque relinquit;
Me natum non pingue domo, ſed vivere parvo
Contenta, dignis genitoribus, atque ſubinde
Colligere ex agro ſolitum, quem habuere parentes;
Quem tritavi, & Bacchi calcatis condere ab uvis
Vindemiam, totos bene quæ ſuccurrat in annos,
Cum pater ipſius communi nomina cenſu
Inter plebejos, nec habere, nec eſſe putandus
Civis in urbe queat notiſſima foſſa Cinædon!
Talia ſed debent ferre infortunia Recti,.
Nec tu, Bacchini, procul is à ſorte maligna;
Nec ſacro vatis capiti fera lingua pepercit:
Hinc opus immutare ſolum fuit, adjutricem
Poſcere in adverſis quod det Conſtantia dextram;
Et calamo, famam quo non præſtantior alter
Vexerat, antiquam ſedem tituloſque tueri.
Diverſis torquet terris ſors Mercuriales
Unà, latus ſimplex patet ictibus inſidiantum;
Et quamvis arcum pro Muſis tendat Apollo,
Impunes lædunt Momi, Zoilique laceſſunt,
Et qui Narciſſi Regum dominantur in aulis;
Sed nihil ipſe puto curandum, gente relicta,
Urbe ſua, & rebus, ſiquidem hoc quoque pectora tangit
Plebeja, expelli; virtus fert omnia ſecum,
Et contentus ea Prianeus cætera ſpernit.
Urbs una eſt mundus; mundi quacumque manebis
Parte, vocandus eris civis, cœloque ſub uno
Nos cogit fortuna locum mutare, ſed in nos
Non plus arbitrii jactet retinere; videmus
Solem alibi lunamque; eadem Titaniaque aſtra.
Ergo ſurgamus, ne victrix gloria creſcat
Ejus, quod calcet depreſſos, atque ſupinos.
Juſtum quod doleat, foret amiſiſſe ſodales,
Et ſtudiis ſolitos iiſdem gaudere lociſque,
Concurſare ſimul concordes mentis amicos;

Hæc jactura gravis, fateor; ſed tempora forſan
Nubila demonſtrant, hoc quinam nomine dignus,
Quum fortuna micat, laribus ſtat ſpiſſa clientum
Turba, ſed hæc vultu ceſſet fulgere ſereno,
Vix eſt Pirithoo Theſeus, Pylades vel Oreſti.
Quod ſi donarunt aliquem pia numina fidum,
Diliget abſentem, quo pacto proſit egenti,
Quæret, eritque animo conjunctus corpore diſtans,
Non viſos, de me ut dicam, ſub corde fideli
Contineo, nihil obſequii, officii, pietatis
Subtraho, ſi poſſet manus una levare jacentes,
Creſceret in cœlum quivis virtutis amator,
Et Romana foret capiti jam purpura digno.
Doctus Ephemerides quas edis, candide, vidi,
Miratuſque fui ſincerum pectus, & unà
Utilium inſtructum alta rerum cognitione.
O mihi tunc dixi, ſi detur nomine noſci,
Si ſervire viro, ſcriptori ac plaudere tanto!
Omnia donaſti, quid plura? Enarror Amicus;
Laudibus atque tuis creſco dignatus & ipſe.
Si abſentes igitur ſummo junguntur amore,
Cur non inceptus ſervabitur? & quid erit, cur
Non animos videant animi, ſecumque loquantur,
At contra expertus quoſdam ſum, pollicitis qui
Exſuperare fidem poſſunt; qui magna profeſſi
Ex auro montes promittunt; ſed data verba
Re nolunt, immo quorum ſe ſponſio fovit,
Alterius votis acceſſit gratia perque hos.
Non igitur deſunt, quamvis procul urbe recumbam,
Vel veteres, nati, vel qui naſcentur amici,
Qui me proſpectant, plus quam mea, forte ſub omni
Angi & quod ſenio facta hæc ſunt jam properante,
Stultorum ratio eſt. Meliores egimus annos
Felices; ſuperis tradenda eſt ultima vitæ
Ætas, membra manent cum imo cludenda ſepulcro
Et quum defuerint juvenilis gaudia ſenſus,
Ergo conſuluit fortuna, ut tarda veniret

Cum

Cum vellet tandem dextra feriente nocere.
Indulgentis opus fuit hoc; mala diſtulit; inde
Victima debetur Divis. Veneranda ſenectus
Conſiliis melior, melius ſua dicta tuetur.
Spem minus innutrit, minus & turbatur iniquis
Fortunæ aut hominum malefactis, ſedeque celſâ
Immota, & nullis quatientibus exta quieſcit.
Acta prius vita, & caſus variata per omnes
Prudentem docuit quæ ſint diſcrimina rerum,
Romanumqve, pati, facere & ſua fortia, dici;
Ut nil ſit major ſtrata Carthaginis arce
Scipio, nil Paulus Perſen poſt terga revictis
Adducens manibus, fuerit quam Attilius intra
Dolia Pœnorum præfixis undique clavis,
Vel Cato diſcerpens forti ſibi vulnera dextra,
Aut Decii aut Fabii victrici morte cadentes.
Utque ad me redeam, magnas facientia curas
Mœnia non cupio; ſperno faſtidia Romæ;
Serrani in morem parvo contentus agello,
Si modo non quatiat venienti turbine grando,
Vel gravis exundet per ripas impetus amnis.
Valde onerat noſtras agreſtis copia menſas,
Adde quod aſſurgit mihi turba minor, primumque
Me vocat, aut epulæ poſcant, aut templa frequentem,
Et malo eſſe caput Cyniphis, quam cauda Elephanti.
Inſula ab Ææa miſſus πολύμητις Ulyſſes
Ad patriam poterat, ſi vellet, ſolvere vela,
Sed ſociis remeare carens non paſſus, adivit
Hoſpitio Circen ſibi charam, talia fatus:
Diva potens hominum cantu mutare figuras,
Omnia luſtrantis pulcherrima filia ſolis;
Ut me donatum pateris diſcedere, Diva,
Da revocare meos Ithaces ſub mœnibus altis
In patrias ædes; ſi vis, potes omnia namque,
Nec ſine, ſi paucos dimittas, terra colonis
Hæc erit, at tua fama ingens, ingentior ipſa
Diceris, tuaque æqualis clementia cœlo
Ibit; id oranti ſubſcripſit, & omnibus inde,

Id quotquot vellent, abeundi facta facultas.
Tum Laërtiades ſetoſum Elpenora porcum
Invenit, & dictis grunnentem affatur amicis.
Ad patriam, ad patriam pergamus; mitte ferinam
Effigiem; indulget Circe. Primum ille nec aures
Præbebat, nullo Regem dignatus honore;
At poſtquam juſſit Domina, & reſpexit, inerti
Rictu, fruſtra, ait, ecce vocas, montanus & aſper
Nullius imperiis vexor, perſolvere nullum
Vectigal jubeor ſuibus, caput ipſe recumbo,
Nec mi plura peto, tenui ſum ſorte beatus.
Quod ſi me reducem rurſus exaſperet aula,
Invidiæ expoſitus fierem, nec carpere ſomnum,
Nec partis uti ſiliquis, nec ludere cœno,
Nec quicquam noſtro diſponere more daretur.
Tunc prudens ſic Dulichius; Cum conjuge natos
Negligis? An patrias ædes contemnis, & exul,
Et rationis egens venientia fata videbis?
Sic fixum eſt, iterum rictu ſonat ille ſuino,
Quid redeam? Sanguen quo vel mihi Prætor iniquus
Contra jus fugat, vel ſæpe ſatellitis arte
Torquear immeritus; quod ſi tua numina poſcam,
Re bene confectâ tam ſero exire licebit,
Ut præſtet, ſimulans profunda ſilentia ſervem.
His Ithacus dictis iraſcens, intulit ultro
Greſſum aliò, & vetulum convenit pelle Geronem
Incluſum bovis arentes dum ruminat herbas,
Et, Gero, conclamat, redeamus, Patria noſtras
Expectat naves, vocat aura, & commonet æquor.
Tunc piger ille refert; Noſtram vexare ſenectam
Deſine, ſervitio meliores juſſimus annos,
Poſtrema hac tandem concede ætate moleſtum
Depoſuiſſe jugum, lætis & currere campis.
Heu quoties ſævi indignum preſſere miniſtri!
Exactor quoties minitavit verbera? quod ſi
Ingemui, & magnam penetravi mæſtus ad urbem.
Ille vices jactare tuas quem ſede tuliſti,
Biſſenas poſtquam tenuit noctesque dieſque,

Tunc

Tunc mihi reſponſum durus dedit ille petenti.
Sitis ut ante Boves, graviora & aratra feratis.
Hic ſunt magna ſatis prata, hic mea flumina ſpecto;
Nec me ſollicitant uxor natique querelis,
Quam nimis optaſſem vel morte relinquere acerbam.
Acceſſit demum, ne ſingula ſint referenda,
Ad Bevium formâ latitantem vilis aſelli.
Sed renuit Bevius priſcam reparare figuram,
Hæc rudens; Aſinus fieri tam ſæpe precatus
Numina, nunc voti compos mea fata relinquam?
Hos Ithacæ titulis augeri, donaque in iſtos
Plurima cernebam cumulari, creſcere ſemper
Ornatos trabeis, ſellaque ſedere curuli.
Hos adſtare tibi, & quamvis prudentia clarum
Efficiat, rebus ſpectatum, conſilioque
Inſignem & pietate virum, ſi ferre clitellas
Abnuit, arcanis non introducitur aulæ,
A Regum ſatrapis oculis non cernitur æquis;
Hoſtibus & ſolet ipſis ſuſpicioſior eſſe.
Hic caput ipſe mihi, caput & ſum pluribus, eſca
Eſt eadem jucunda quibus, communis habetur
Rivus aquæ nobis, communia paſcua tellus
Temporibus ſtatis emittit, cur ego ſervus
Eſſe aliis patiar, poſſim quum vivere liber?
  Bacchini, levia hæc, hæc contemnenda videntur
Ponderis ut parvi, ſiquidem ſunt dicta ferarum.
Sed credas folium memet recitaſſe Sibyllæ,
Credas Platonis ſenſus magnique Chryſippi,
Et ſumma in noſtro velari arcana boatu.
Utilius ſciſſâ tegimur quandoque lacerna
Et procul à cœtu ſecreta quærimus æde
Numinibus privis fumantes ſpargere odores;
Cuſtodes ut ſint lateris, ſint omnia contra
Spicula pro clypeo, ne nos fortuna videndo
Sauciet, & dignos non ducat Juppiter igne
Quos tangat miſſo, ſolitoque ferire cupreſſus,
Parcere & exiguis clauſa ſub valle ſalictis.

Reverendiſſimo , Doctiſſimo Optimoque

VIRO

Arguto inter Concordes Academicos Claſſis

BENEDICTVS BACCHINIVS

ET ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

SVMMO *honore me afficis, Vir Clariſſime ; Satyram ſcribens mihique inſcribens , feſtivam, utilem , elegantiſſimam , quam mittent eo optimo doctiſſimoque Maliabequio , vix redditam legi , relegi ingenti cum gaudio. Vidi etenim utriuſque noſtrum ſortem unam eodem p nicillo depictam , avi multiplex ulcus Satyrico ſale probe fricatum , ac parabile fortuna adverſa remedium expoſitum. Haſi tantummodo & rubore ſuffuſus ſubſtiti , ubi me laudibus adeo cumulaſti , ut verear , ne inde apud lectores etiam caros (quid non ab improbis timendum ?) male audias. Ipſe adeo puſillitatis mea mihi ſum conſcius , & tanti dignitatem suam facio , ut Cenſoris partes aſſumens , te ſerio admonitum velim , de impetu , quo in mei encomia effunderis , moderando. Catera probata tantundem , quantum qua probatiſſima , ex veterum laboribus ſuperſunt. Spartam nactus es , quam pauciſſimi in tanta recentiorum ſcriptorum copia tentavere , illamque penè reliquis intactam feliciter adeo ornaſti, ut in poſterum in hoc difficillimo ſcribendi genere aqualem , ſed nec ſupparem ſis habiturus. Abſit verbo invidia ; etenim quid nitidius , quid ſolidius , quid propius ad Satyra genium deſiderem non habeo , ſanctè aſſeverans veteribus illud tantum reliquum gloria remanere , quod te priores ſcripſerint ; nam ſi novitios Satyricos quaras , poſtquam optima litera ſunt reſtituta , apparebunt rari nantes in gurgite vaſto : difficultate ſiquidem operis territi ſi quando nonnullos indignatio ſubiit , invitâ Minervâ potius incompte ſavi-*

ſævire voluere, quam provinciam aſſumere, cui ferendæ ne impares eſſent, verebantur. Porro quid Satyræ tuæ deſit non video. Sermo non modo Latinus, ſed ſatyram decens; vivida, & alacris ingenii vis, qua ictu eodem, diverſa quotquot offendis vitia perſtringis & jugulas; feſtiva gravitas, quam ſententiarum frequentiam ſale condis, rerum copia, per quam Satyram verè ſaturam ſcribis, & efficis; imitatio diligens qua quiſque corruptiſſimo in ſæculo vitioſus ſe ſibi objectum ſentiat, omnia tandem ad optimam prudentis & philoſophi normam rigidè caſtigata. Gratulor itaque tibi, vir Clariſſime, gratulor literarum reipublicæ, ac tum ſatyram pro amore erga me tuo, mihi inſcriptam, cum cæteris propediem edas rogo; licet per ea tempora vivamus, quibus periculoſiſſime in vitia ſcribas. Solicitat me, ita vivam, publica utilitas, tuaque gloria; ſed vide ne veritas odium pariat. Noſti quid παῤῥησία *ſatyræ propria portendat; nam*

— quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa.

Multiplex injuria, qua per ſummum nefas affectus es; ita mihi eſt perſpecta ut nota magis nulli domus ſit ſua. Id ergaa te mirum, quantum me cultorem efficiat, iiſdem fatis vexatum, ſed eadem virtute haud ſuffultum. Grates habeo quam maximas, quod exemplar te mihi conſtantiæ exhibueris, amori tuo; parem me tibi rependere ſcias velim. Amare igitur perge, ut amaris. Vale

Mutinæ Prid. Id. Nov. MDCXCIII.

VIRO

VIRO ERUDITISSIMO

Muſarum Antiſtiti Venerabili Heliconidumque Anteſignano Doctiſſimo

DOMINO

FRANCISCO BERRETTARIO

SALUTEM.

TUA legi nihil fellis habentia; vix tuli, meque hortatore, ut ſaltem Archilochi palæſtram ingrediare, cupido inceſſit. Hanc igitur ad te XIV Satyrarum inſcripſi, ut ſimul amoris ac exiſtimationis in te meæ teſtis adeſſet. Humile aliquibus fortaſſe videbitur argumentum: ſed illud eſt, quod cum negligatur, pleraſque peſſundat provincias. Tu vale diutius ad bonarum litterarum incrementum, meque amantem ama.

RESPONSIO BERRETTARII *venuſtiſſimo hendecaſyllabo & doctiſſimo hic non apponitur, ne ſuas captare laudes videatur Auctor, quamvis jucundum ſit à laudatiſſimo viro laudari.*

De

De Juſtitiæ impiis Satellitibus
SATYRA QVARTA DECIMA.

JVPPITER in terris quum nondum regna teneret
Sponte ſua rectum melior Natura petebat;
Nullus erat mœchus, nullus graſſator, in urbe
Fœnoris ignotum nomen, fraudeſque nocentes:
Incuſtoditum pecus errabat; via nulla
Furibus armentum noſcebatur minuendi,
Et glandis ſylva creſcebat maſſa ſuperſtes.
O felix ætas cœloque ſimillima tellus!
O bene natus homo, Divum ô dicendus imago!
Fama eſt Aſtræam cunctas penſaſſe libella
Res, ſic jura prius diſponeret æqua popello
Ilice de dura, duro de ſubere nato.
At poſtquam juſti ruperunt fœdera gentes,
Peccandi & didicere vias, tunc enſe minari
Juſtitia & pœnas cœpit conſcribere, cœpit
Exilio mulctare reos; tum tingere ferrum
Sanguine nexorum, gabalos reperire, ſecures
Intentare, cruces extollere, tormina & uncos
Aptare, ut monitos quatiant terrore ſuperbos.
Et quia non ſatis una foret tot rebus agendis,
Sæva miniſtrorum delecta eſt turba; coivit
Lictorum ſtipata manus cum Conſule; Cenſor
Et quoties juſſit, retulit mandata ſatelles.
Inventus Tortor, Judex, Interpres, & Actor;
Cauſidicus, Teſtis, Scriptorque Tabellio, Signum;
Leges; Juramenta, Fides firmata, Libellus.
Fraudibus eſſe tamen campus non definit; atque
Depoſitum crebrò fallaci voce negatur.
Inde armata cohors circumſtat, cuſpide ferri
Quæ doceat rectum ſpernenti ſæva timorem.
Bajulus eſt alter Birvarjus atque Caballus,
Quorum quis pejor, Minoë eſt quæſtio digna
Judice; ſed more illius, qui ex gente luporum

Fer-

Ferre bonum juſſus, cunctos cognovit iniquos.
Militiæ tamen haud cedunt, gradibuſque ſequuntur.
Nam Dux exiſtit, Legatus, Centurioque,
Quique decem caput attribuatur, quique duobus;
Viribus hic melior, melior fit fraudibus alter.
Felices animæ! calathis dant lilia plenis
Gratiæ, & incumbunt ſtudio propenſius omni.
Juſtitiæ jam nomen habet ſubtriſtis imago
Picta aulis, dextra ancipitem quæ ſuſtinet enſem,
Quæ libram oſtentat; revera cuncta ſatelles
Furatur, ſpoliat præſes, oblimat avarus
Judex. Quid ſancti? quid tuti Aſtræa reliquit
Virgo ſibi? vide: Cuncta licent fundentibus aurum;
Hoc deſit, fruſtra mores componit honeſtas,
Relligio inſtaurat; nullum clementia pectus
Tangit, &, obliquo proſpectans atria vultu,
Ingemit expulſam ſedem ceſſiſſe rapinæ.
Pauper ubique jacet; Phinei ſtabulantur ubique
Unguibus exertis volucres, ſanctumque tribunal
Stercore corrumpunt roſtriſque voracibus abdunt.
Si cum contigua vilis mulierçula garrit
Forſan anu, nec verba ſonant bene congrua veris,
Ilicet inquirunt, tituloque pecunia mulctæ
Impoſita, eſt ſævo Ditis tradenda miniſtro.
Jus cuinam faveat poſtrema eſt quæſtio: quinam
Enumeret pretium, ſatagunt diſponere Verres:
Hoc ubi non veniat, ſuccrevit culpa, preceſque,
Et lacrymæ incaſſum fuſæ ſubſellia tangunt.
Inde fit, ut vili veniat centone Diaulus
Diſcedenſque ſatur miſerorum ſanguine, tingat
Palliolum, tingat regalis purpura ſtratum,
Jurando cumulet digitis ſudantibus aurum,
Nec jam plena domus capiat plus aut ſpoliorum,
Aut vini ſummam majorem aut farris acervum.
Jam Domini nomen ſibi ſumat dedecoretque.
Sic junctum cognomine Raffini à rapiendo,
Stacchini quod divellit, Coppetta quod aufert.

Si

Si vetuere aliquid leges, gens iſta nec ullis
Legibus afficitur, nec tota domeſtica pubes.
Perſolvunt alii Regi Dominoque tributa.
At procul exactor ſua juſſa reſolvit ab iſtis.
Quolubet ollarum ſale condit oluſcula; ſpectat
Nemo colorem ejus, nec tanto cogitur uti,
Aut velit, aut nolit; ſolus Birvarius exlex,
Solus habet, quacumque cupit, conceſſa licere:
De ſcelere, & fidei violatæ crimine lucrum
Expectat, nulli parcens, niſi ſcriptus eadem
Militia infamis vivat. Si cultor agelli
Poma tenet, veniam non poſcens ſumit, abitque;
Sin mutire audet Dominus, vel prodere furem,
Quis tutum reddet? quis opem feret accuſato?
Fingentur culpæ; gladio vel pyxide nummos
Quæſitos illi, dicent; ſi crimina deſint
Apta, reum ut faciant, vetitas res lege feneſtris
Immittent, tum juncta cohors concurret & unus
Accuſator erit, teſtes alii veniendo,
Juſtitiæ templum, & violati numinis aras
Ingreſſi tangent, miſer iccirco patietur
Peccati pœnas, cujus non ulla voluntas
Cor tetigit: tantum nocuit prius eſſe locutum.
Quod ſi collubeat, contuſum fuſtibus atque
Calcibus inflictis, ubi tota carne dolorem
Contraxit fœdâ, Catilinam hunc carcere claudunt.
Addatur quod ſi virgo aut matrona decori
Vultus rure manet; ſi vivit in urbe remota,
Corripitur ſubitis gens hæc incondita flammis,
Mutoniſque ferox indigni efferbuit ira,
Et deſiderio res acta brevi ſubſervit.
Namque quid obſtabit, mediâ ſi nocte poteſtas
Eſt intrare domos, poſteſque invadere, ſeptos
Armis & quibus impunita licentia præſens
Præbet opem; namque ut noſter cecinit Juvenalis,
Quum ſcelus admittunt ſupereſt conſtantia, quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis

Cri-

Criminibus reliqui, meditatur deteriora
Hoc genus, & parvis animos ad magna capeſſit.
Cuſtos frater erat depaſti publicus æris
Tangere non auſus quicquam ſub nocte ſatelles
Adſtabat, ne quis raptor violaret, Eois
Quando vecta jugis primos aurora diei
Præit equos, fractas, pertingit nuncius aures,
Omnes eſſe ſeras; abſtractum quod fuit intus
Argenti atque auri. Lacrymis deflevimus ortis
Jacturam, riſere canes, tutiſque rapinis
Per ſcelus indigni hoc exultavere Penates.
O Reges, cur tanta datur reverentia, ne quis
Audeat in jus hos vocitare nec ultor adeſſe?
An Nemeſis gladius cenſendus ſorte retuſus
Illorum cæcâ, quæ geſtat in aſtra ſceleſtos?
An ſignum felix iſtorum poſtibus adſtant,
Ne tangat juſto veniens vindicta flagello?
Ægypti memini privati nocte ſub una
Ingemuiſſe domos natis majoribus; at quæ,
Signatæ Tau, per Pharaonis regna manebant,
Duxerunt choreas nullâ feriente ſagittâ.
Non ergo meriti patietur carceris uncum
Fur, quo ſunt fures arcendi? ceſſat amara
Sontibus his pœna? eſt laqueus conciſus, & enſis
Juſtitiæ fractus, nec famâ digna ſiniſtrâ
Hæc ſcelera? Impunes titulis augentur? an illi
Ut Verres quondam ſpoliis majoribus aucti,
In ſpe prædarum ſecuro corde quieſcunt:
Quod pars eſt, aliis quam poſſint ſuppeditare?
Integra vel Ditis ſervatur cauſa latebris?
Sed quid ſuccurrit damnis hæc ultio noſtris?
Nobis plorandum, fur dum torquetur ab igne,
Et miſeris longa nil reddunt tartara pœna.
Ut quando Piſis ſuſpenſus Sferra pependit:
Nam fur curtavit grandes, quas Gallia merces
Miſerat, hoc memini, patulo Laurentius ore
Clamabat; Nobis ſatis eſt, eſt nundineiſque

Pro

Pro Conventibus extincti corium latronis,
Et mors infamis gravibus ſuccurret oletis?
Magnificæ interea tolluntur comminus ædes,
Augentur cultis creſcuntque novalia campis;
Rura boves & arant defeſſi jugera. Si quis
Cujus ager, poſcat: reſpondent, hic Barigelli,
Adſtantes crebri timida nil fronte coloni.
Nam ſonat hoc nomen, viventes abſque tributo,
Et quibus in totum vicini ſerviat agri
Fundus, per quem ducat aquas ſi poſtulat uſus,
Sin malit, nullus deſcendat rivulus inde;
Dent noſtræ armentis illius paſcua ſylvæ;
Sed nemora, aut frondes neque tangat quiſque ſuarum.
Perpetua anxietas hortetur demere nobis
Menſuræ aut juris quicquam, videaſque, feraſque.
Fertur, Anus quædam, cum poſceret obvia Regem
Nummum, qui grandi ſolatus abibat egentem
Mercede, ad ſuperos converſa, hæc verba dediſſe:
O utinam Romæ Barigellum numina reddant
Te, fili, ut gratis benefactis digna reportes!
Miratus, cur hæc, dixit, Matercula faris?
Illa autem rurſus; Mulier ſum neſcia veri,
Auxilio vivens alieno, nil tamen eſſe
Mercatu vidi ſelectum, quod Barigelli
Non ceſſet menſæ; piſcis ſiquid, Barigello
Servatur; ſiquid venantibus ipſa Diana
Obtulit, hoc dandum cœnæ, audivi, eſt Barigelli.
Si mulier conſpecta venit, fulgentibus auro
Veſtibus, hæc uxor narratur ſit Barigelli.
Siquid defertur, ventrem quod repleat, urbi
Inſolitum, Barigelli adventat debitor eſcæ.
Sunt adeo illius bona quæquæ; numina tandem
Quid melius poſcam donent tibi, quam Barigellum,
Si non es, fieri: mihi crede, hæc ſumma putanda
Votorum eſt. Stupuit primum Rex talibus orſis,
Mox & ſubriſit; nam multa coëgit egeſtas
Sæva pati, Regum majeſtas quæ neque vellet,

Nec poſſet ferre, aut deberet regula recti.
At ſi, quæ faciunt ulla ſine lege miniſtri,
Omnia reſcirent Domini, lacerataque roſtris
Quot ſunt regna feris, pulſata à remige nudo,
Illorum dextrâ ſpumarent æquora tonſis,
Nec tantum humani biberent hæc monſtra cruoris.
Indignum facinus! carpit plus ſæpe ſatelles
Mercedis, falſa furatus fraude quotannis,
Quàm Marti impendens animam venaſque tribunus;
Plus mercedis habet, quam doctus juris & æqui
Arbiter, evigilans totas nocteſque dieſque
Aut ægris medicus ſatagens reparare ſalutem,
Stercoris inſpector, morbis demerſus acutis,
Et qui corripiunt vicinos ſæpe feraces.
Plus mercedis habet, quam tu religate catena
Aulice, & inſtituens orantes Quintiliane.
Unde minus quamvis omnes laudentur Iberi
Uſus, ſæpe aliquid noceat mora rebus agendis,
Non bene Majeſtas quadret cum paupere cenſu,
Hoc ſane, hoc unum dicendum vocibus eſſet
Phœbæis, famæque tubis, plauſuque canendum;
Quod penitus regno pulſa hæc ſit peſtis ab omni,
Juſtitiæque tamen vigeant in robore leges.
Damnabat rediens illinc mihi multa viator.
In tot diviſum quod regnum regna maneret,
Ut mores paſſim, & nummos mutare neceſſe
Non ſine jactura foret; & caupona quod intra
Tam vaſtum imperium nulla, hoſpitiumque jaceret
Quodlibet exutum rebus, quas poſtulat uſus,
Ut ſint à miſeris peregrinis ſingula feſſis
Captanda hinc inde, & deſint ibi plurima ſemper.
At nullus quoniam torvâ ſit fronte ſatelles
Obvius, expungi cuncta adverſa, omnia tolli
Hoc mala: pro cunctis hoc damnis eſſe cluendum.
Si vero expoſcat caſus, crimenque requirat,
Turmatim populus glomeratur, & arma geruntur
In ſontem, dicto quoties non pareat. Aras

Non

Non tetigiſſe ſatis, nullumque tuetur aſylum,
Dum vir Patricius currit cum plebe ſatelles;
Quum nobis contra tot ſit nutrienda moloſſon
Turba ſimul, cum tot patiatur Thuſcia morſus,
Conveniunt fures, armantur ſæpe latrones,
Stant graſſatores, nec jam ſunt tuta viarum
Compita; Sunt Urbes tesquis ſimiles, ſylviſque,
Sæpius atque nocent, quam proſint: cætera mitto.
Tu quo non melior Parnaſi in fonte lavatur,
Pieridum cultor, Franciſce, hæc noſtra ſecutus,
Adde quod omiſi; calamo perſtringe tonanti
Hoc genus inviſum. Timeant te auctore ſuperbi.

Illuſtriſſimo Domino

SALVATORI PEROTTO,

Doctiſſimo ac Eloquentiſſimo Incitatorum
Faventiæ à Secretis

S. P. D.

AD *te veteris Perotti re nomineque hæredem hanc Quintam decimam Satyram mitto, ut teſtatum relinquam apud noſtram Incitatorum Academiam omnem, teque in primis, altis me nominibus teneri obligatum, quæ neque mors ipſa delebit, quoniam in animo ſunt impreſſa. Scio multa in his paginis mala, pauca mediocria, nullá optima, licet Menippeam Varronis* περὶ Εδεσμάτων *ſim imitatus: Verbis autem Sanctiſſimi Doctoris Hieronymi utar in Prologo Galeato, dat unuſquiſque quod habet. Tu inſuper noſti in* πανδέκταις *non Tullii Tironis, at Juris noſtri Cæſarei tritam atque exploratam regulam reperiri, ſupra id, quod facere poteſt, tenetur nemo. Voluntatem ergo meam reſpicito, vir humaniſſime. Sonet hoc nomen, quidquid Agellio placeat, & Vale.*

l'Acciottoliato.

RESPONSIVA EPISTOLA.

Illuſtriſſime Domine,

SATYRAM *tuam* XV *de exoticis titulis miſſam ad me, quem nulli decorant tituli, libentiſſimè accepi, atque non ſemel attentiſſime perlegi, Vir Illuſtriſſime ac ſapientiſſime. Multum enim ſapit poëtici ſalis, & redolet ingenium ubique lepidiſſimum ac eruditiſſimum. Quinimmo & eadem in ſe Poëtarum oſtentat dotes, qui ſumma*

cum

cum laude Latinos inter Satyricum ſcribendi genus ſectati ſunt. Ridet ſiquidem & jocatur cum Horatio; Ardet ac apertè cum Juvenale inſtat, cum Perſio tandem inſultat, & conviciis proſequitur; ſed modeſtiſſimè tamen omnia præſtat. Quid autem de Argumento dicam? omnia Phœbi ex Tripode pronunciata, & Oraculis Sibyllinis longè veriora; at Poëtæ facilius eſt extorquere Clavam ab Hercule, quam inſanientis ſæculi, & in neotericâ effuſiſſimi pertumeſcentem hunc curare morbum. Etenim hòc ævo

Faſtus ineſt cunctis, ſequiturque ſuperbia cunctos. Carolus Andreas Sinibaldus natalium ſplendore ac virtutibus clariſſimus Eques Neſtoreos ad annos valere ac ſalvere te jubet. Gratias ipſe immortales ago pro munere, quod tuo ſemper inhærebit animo, utpote ab homine maxime docto, & in amicos officioſo profectum. Gratias agit etiam Incitatorum Academia, quam tua in Satyra ſummis laudibus exornas, eademque te viciſſim ſummopère commendat apud omnes. Diu vale, Mercurialium virorum Anteſignane, Apollinis & Muſarum delicium, amicitiæ numeris omnibus abſolutiſſimum exemplar, & me qua cœpiſti proſequaris benevolentia.

Dominationis Tuæ Illuſtriſſimæ Obſequentiſſimus & Addictiſſimus ex aſſe Cliens

Salvator Perottus

à Secretis Incitatorum Academiæ.

Faventiæ 4 Idus Jan.
Anno Gratiæ 1694.

De Exoticis Eduliis, Titulis, aliiſque Rebus noſtra ætate quæſitis cum exceſſu

SATYRA QVINTA DECIMA.

MVsa, Jovis ſuboles, virgo gratiſſima Phœbo,
Quæ facta heroum, quæ Martis prælia ſcribis,
Et quæ digna canis ſervarier omne per ævum.
Si tibi per titulos blanditus ſum ſatis uſque,
Nunc me de externis titulis comitare loquentem,
Ut veſtro mittam vati conſcripta Perotto
Carmina dulciſono, quæ te ducente ferantur.
Vivimus externis perfuſi in moribus, atque
Solum externa juvant pertæſos vivere noſtris
Uſibus, ac rebus; Lactant externa palatum.
Nulla ergo Hetruſcis reſtat jam gratia menſis,
Non gaudet ſolito venari rure Diana,
Atque ingrata labrum replet carcheſia Baccho,
Aurea quum noſtris provenit collibus uva?
Tubera non gignit nemoroſis Nurſia campis;
Ni vehat & terris Romanæ prora Libyſſis
Cæſarei placitura gulæ? cur numina non ſunt
Ulla relicta cibis minus adverſantia Tuſcis?
[1] Alma Ceres Siculæ facta eſt contraria meſſi,
Et ſegetes Apulæ ſuſque omnes deque fuere?
Pallados umbrifero non livet bacca Venafro?
Nec tepefacta ſuis diteſcit Signia pomis?
[2] Cur non totæ adeunt, niſi ſit ficedula, menſas
Jam volucres, cicuratque domus quod ſi altile ſemper
Pars ſatis ima famem ſatiet ſuprema relinquat
Uxori, vel danda coquo, bene doctus Apici
In ludis lurco. Opus eſt, ut creſcat ubique
Luxuria, ex dapibus quum ſervit portio tantum.

Quid

ADNOTATIONES.

1 Sicilia dicta fuit olim horreum Italiæ: nunc vero ex Dantiſco affertur frumentum, & aliquando ex Gallia quæ dicuntur Roſcella.

2 Vide Agellium lib. 15 cap. 8 ex Phavorini oratione veteri.

Quid reſtat luxu? libari ubi cœna jubetur;
Ne triplici miſſu conviva oneratus edendo
Ante abeat finem, cedens properæ ingluviei?
Inter aves turdus nullo diſcrimine primum
Obtinuit bonitate locum: ſcrutatur in ipſo
Nunc gula ſelectos artus; ſi paſtus olivâ,
Juniperoque fuit; modo ſi prætervolat ad nos,
Glandibus aut quernis vulgarior eſca ſatullet.
Gallinas Numidæ mittunt; dat Jonjus Atta-
Genis adhuc raras ſolis pro Regibus eſcas,
Et tamen intra iſtos diſcriminat optima fartor.
Ultra hanc proferri, ventri quæ ſerviat, artem
Crediderint plures? verum hæc confinia retro
Poſthabuit multum luxus; Nōn jam caro quicquam
Laudatur, ſi carnis habet faciemque, ſaporemque.
In varias tranſit formas, & piſcibus aſſæ
Miſcentur pulpæ. Tritas tenet oſtrea, tritis
Oſtraceis volucres replentur; cortice clauſus
Ovorum pinguis prorumpit nomen ab horto
Quæ traxit, temereque ſolet miliaria dici
Laurenti ductu, arbitrium cui præbuit anſam.
Aut lactes, nimium generoſis offa palatis
Quæ arridens, lanios ſtimulat perſæpe rapinæ.
Millia præterea variis embammata ſuccis
Exprimit, aut herbas miſcens, aut ceraſa citris,
Sacchara & omphacio librans contemperat acri.
Inſuper exſpoliant myrothecia luxurioſi
Piſtores, Moſchon triturant, fit pulvis amomus,
Zibetumque liquet, molleſcunt ſuccina Eoa,
Galbana comminuunt, Aloës conſumitur igni.
Victori has epulas poſuit Cleopatra Latino,
Succeſſorque Nini forſan ſolemne paravit
Tale ſuis! Latiis ſimiles haud noſcere cœnas
Mos fuerat Patribus, Genium plàcare per herbas
Fuſis, vel fontes ſpargunt ubi plenius undas?
Non equidem; at ditūm progreſſa licentia poſcit,
Quod venum eſt,conſtatque;Crumena miniſtra ſaporis.

Plus nihil è Phaſi gallus, quàm villa Sabinis
Quos caſtrat, caveaque domus vel nutrit in hortis,
Nec qui cantando ſomnos, Germania, frangit
Sæpe tibi, & celſis opuleſcit montibus, ori
Eſt mage jucundus, quamvis ſit diſcolor alis.
Quid Surrentinum retinet nigrefacta caminis
Perna, quod & noſtro haud habeat ſervata Decembri,
Et ſuſpenſa tholo, vel fumo caſtanearum
3 Ad Procerum guttur: Franciſcus ſic vitulinam
Romana curat ſibi ſemper ab urbe ferendam;
Quod non privatis liceat præſtare, togâque
Civibus aut ſagulo mediocribus æqua potenti.
Carpathio legimus pelago jam lacte ſcatentes
Juſſerit ad ferri Echeneida Vitellius urbem,
Cum ſtrueret feſtis Julî convivia nonis,
Aut Salii pronâ quaterent ancile Suburrâ.
Quin etiam Venere ex ipſa decerpere fructus
Aut magis illicitos, magis aut arriſit acerbos,
Aut hinc diſtantes, per magna pericla parandos.
Seſta puella fuit divâ decorata figurâ,
Ut ſimilem poſſet nullam componere Abydos?
Nec Caracalla parem valuit reperire novercæ,
Imperium Oceano quum clauderet? urbe, foriſque
Nulla ipſi placuit? Nulla, & niſi filia, vulvam
Auguſto aptatam; ſoror Amnoni habuere?
4 Vallenſis Romæ, aut Capuæ ſibi ferre pudicam
Neſcivit, poſt tot caperet quin advena terras
Maani incertam populo, fideique Quirini?
Cur Helene Paridi juncta eſt, Anchiſiadæque
Cur Dido, Jarbas fruſtra quam poſtulat ante?
Utraque longinquos inconceſſoſque Hymenæos
Maluit, & magnis cauſas aperire ruinis.

Com-

3 Hic Franciſcus ſummopere laudandus eſt, qui liberalitate utitur pari nobilitati, & dignitati ſuæ.

4 Petrus Vallenſis renuit ſemper uxorem ducere Romæ & Neapoli; tandem amore Maanis Giorgianæ captus fuit, eamque poſt peregrinationem ſuam reduxit in patriam jam fatis quæ ceſſerat.

Complures vidi, pulchra cum conjuge lætos
Traxiſſent qui pace dies, ſcrofaſque ſecutos
Informi rictu, vix lingua & more ferendas,
Et ſæpe in medio duxerunt fornice noctes.
[5] Pagnius ex Tuneto famulam vectare per æquor
Credidit ingenuum, mediis ex gentibus Oddus,
Quæ potant Ararim, Scythicis regionibus Aſtur.
Inſuper & multis propriæ, ſubigendo alienam,
[6] Solvitur oblitis uxoris talio pœna.
[7] Eſt Cucumis nuribus largitio miſſa Latinis,
Quem proferre ſolet lætis Piſtoria campis
Æſtibus in mediis concretus dote nivali,
Dum Clemens viguit. Deſunt hæc fercula Romæ?
Nequaquam; Aſt alibi creviſſe facit pretioſum.
Quæ ſunt grata cibis, reliquis exotica rebus
Invaleant, uſus fert. Quid Lucania lanis,
Quid pannis olim princeps Florentia? ceſſit
Utraque Londini telis, aut Amſtelodami,
Illis quas variat Gallus, quas ſervat Iberus.
Flora neotericis crines redimita moratur
Floribus, ingratuſque jacet Narciſſus in hortis;
Et vix rubra tenes inconcuſſam Roſa ſedem,
Dum pandit varios Indus Tulipa colores,
Occiduis albens Jeſminum navigat oris,
Atque una ſpartum: Tamen hos commendet olentes
Oenotria, attollat foliis, quoque quas vocat ambras,
Virginis exiguum referentes caule capillum,
Candida & ingenuos æquant qui lilia thyrſo:
Sed quænam vento diſtinguit gratia natos,
Ut primas Anemoni expoſtulet area curas,
Ac tenuis ſicco radix aquilone feratur?
Quid bulbis exotericis, quod ſæpe parentur

5 Bonus hic erat Medicus, qui Tuneti ſeu Tunis Baſſaum curavit, & inde famulam pulchram domum retulit. Oddus & Aſtur noti fuere Patricii.

6 De Pœna Talionis ſunt leges apud Canoniſtas.

7 De Cucumeribus iſtis fama adhuc vivit ob generoſitatem Noni Clementis omni laude commendandi.

Dimidio plus appenſo auri pondere cuſi?
Hoc unum, longe quod diſtat terra trecentis,
Pluribus aut leucis altrix generoſior illis.
At placeant, terræ quos dicunt ſidera, flores:
Cur conchæ Eoo quæruntur littore, cur ſunt
Inter North undas pretioſæ, aut æquore rubro,
Aut ubi ſolvit equos Titan defeſſus Olympo?
Mille trahunt equidem venâ latitante figuras,
Hæ maris exuviæ, quas indignans vomit inter
Fallacis ſpumas fluctus, turbantibus Euris;
Sed nihil ut radiant gemmæ, vel ut unio candent,
[8] Nec forma alliciunt, Ludovicus ponat ut arma,
Deſerat Hetruſcos Reges, intraque Penates
Felſineos ſudet conſertor conchyliorum.
Quid non inſolitum peregrina illuſtrat origo?
Diſplicet Hortenſi ſtylus & facundia Tullî,
Quæritur inque Aſino Lucî ſi rancida vox eſt,
Si latet in Plautoque locutio non Plautina,
Laberii & ſi quid Fabius, vel damnet Agellus.
Gratus erat quondam Boccacius atque Petrarcha
Scripturis, alter proſæ, apti carminis alter
Norma, lues Aſiæ tandem fædare papyros,
Pſeudoque Pindarici ſtrumæ temulentia buccis
Ructare inſolitas auſa eſt crepitantibus offas.
Hinc venit noſtris ingratum farcimen albis,
Nec modo patriſſant meliores, & ſua verba Latinis
Fontibus extorquent, diis indignantibus ipſis;
Sed ſordes vacuant cunctiſque educta cloacis
Colluvies genio arridet. Non regula prodeſt
Verborum in flexu, generis numerique videtur]
Diſcrimen, voces miſcet gens ruſtica ſponte,
Prolubioque aures titillant hybrida dicta,
Immo id contendunt cuicunque licere volenti
Audaces ſcioli, poſito de fronte rubore,

Sub-

8 Nobilis & ſtrenuus iſte dux præter illas bellicas dotes hanc habebat peririam expoliendi conchas maritimas, ut ex illis reliquerit theſaurum ſpectandum omnibus Bononiam adeuntibus.

Subſannant alium, cui ſuada medulla probatur,
Inſultatque modo juveneſcens ſermo vetuſtis
9 Vatibus, hi ſcribant licet ἐμφατικώτερον illis;
Ut læter, vitio ſi dent mihi Græca profari;
Namque hoc in culpis minor eſſe hodierna videtur;
Doctior inde ſuis libris abſcondita miſcet,
Dum quæ barbaries fuerat, micat inclyta virtus,
Et plauſu populi tollente tumeſcit amuſi.
Quin etiam regio titulis aucta eſt alienis
Quælibet, ac nihili valet obſervata tot annis
Simplicitas, nomenque refert vel ruſticitatis,
Vel ruditatis adhuc Oſcæ, & frugaliter actæ.
Vincit enim noſtra hæc ætas, quot vidimus ante,
Infelix, ſtultiſſima, ſudat ad inveniendum,
Quod plus aëreum ſufflato concrepat ore.
Majeſtas ſublata Deo Cœloque ſereni
Nomen, & excelſi ſurgentibus Apenninis;
Atqui nil ornant hæ bullæ, ſi merita abſint.
Quove Midas pacto emineat quem purpura veſtit?
Sin elementa ſciat, quæ ſignat prima tabella,
Pro pueris impreſſa, Parentis ab ubere ſumptis?
10 Anxius incerti jam circinus orbe pependit
Cujuſdam, exiret cauſſæ ut ſententia, naves
Flandrorum an poſſent fluctus tranſire Britannos;
Anguſto ſiquidem ſpatio ſciathericus aſtu
Cernens, ut nequeat deduci picta triremis,
Judicium effudit, quo non dementius ullum.
Ætates Patrum tali ſplendore micantes
Haud habuere duces? Jactat gens Flavia Titos,
Julia tris etiam decoratos nomine Caii.
Nec minus Hebræâ clarebant gente vetuſtâ
Inſignes meritis, grandes pietate, vel armis

Inno-

9 Ἐμφατικώτερον ſignificat hoc loco quod Hetruſce con maggior proprietà di vocaboli & magis ſignificantur.

10 Hoc commentum narrabatur Romæ, & neſcio an veritati fuerit conſentaneum, poteſt tamen eſſe, ut aliquis nobilis ſit indoctus.

Innocuis primùm præfulſit moribus Abel;
Scis Henoch virtute Deo placuiſſe; Noëmus
Juſtus, Abram factis, invicto & corde fidelis,
Nil tumidus Moſes, Bellator caſtus JESVS,
Lenis Jeſſæus David, tu acceptus, Elias;
Eſt Daniel ſanctus, victores igne Nabuchi
Tres Pueri, prudens Joſephus major & irâ:
Sed quando aptavit tot eis prænomina gliſcens
Aſſentatorum guttur? Dedit Attica Cælum
Tellus, non nebulis blandita æqualibus unquam.
Vilis inops dici vult Illuſtriſſimus Irus,
Nec dat ei nomen proclivis gratia Regum,
Maximo ut & noſtro quem ſublimem aſpicit aula [11]
Inferior, plebs & veneratur Patriciorum
Non dat ſcire ſuum: Crux non inſignit Equeſtris,
Quamvis hæc rubeat pudibunda in pectore ſculpta
Indigne Codri, petulantis vel Labieni,
Vel Pyrrhi, noctes qui uxoris venditat, & qui
Delator fiſci, nulli jam parcit amico,
Etſi olim genitor tergebat ſtercora ſcopis.
Excellens Juris ter dicitur; arte medendi
Ter pariter, primo qui nondum limine leges
[12] Aſpexit Paulus, Marcellus παχυμερής τις,
Hippocratem ignoret qui prorſus, qui Gallenum.
Jam Dominus dici geſtit ſtimulator Aſelli,
Sulphuris effoſſor, tonſor, ſeu vilis alipta,
Et quod deterius, Statore Apparitor, ipſe
Tortor, & ad pœnam debens ſervire carinis;
Et ſi magnifici conſcribat nomine quiſquam,
Inſurgit furiis, chartam perfringit utraque
Inviſamque manu demittit; Mulio, Caupo,
Auceps, Nauclerus, commoto Auriga flagello;
Voce ſalutantur Domini; ſcelerata lupanar

Mar-

11 Nomina ſunt gratis appoſita. Aptentur pro habitu.
12 Παχυμερής τις apud Aulum Gellium reperitur, hæc vox proverbialis pro homine ut dicitur pinguis Minervæ Groſſolano.

[13] Martia quæ infregit, ſcabie fœdata per annos
Bis denos, audet famulas ſibi blandiloquentes
Captare impuras. Nil mirum, ſi pedetentim
Augetur faſtu, & tumefactus quiſque Dynaſtes
Si compellari jam jam celſiſſimus optet,
Cujus ab imperio ſpatio reus exulet horæ.
Mens hominum ſemper naturâ elata ſuperbit,
Principii aut oblita ſui ſibi maxima ſumat,
Aut ſe dum tollit, ſupra ſe creſcere credat,
Ut rana Æſopi, quamvis inflata fatiſcat.
Non tamen iccirco reliqui ſunt nil faciendi,
Quique diu æquales fuerant, ſi creveris ipſe
In titulis, nomenque novum ſuperadditur, ambo
Cur non augendi, ut prudens proportio poſcit?
At qui procedit tibi proximus intervallo
Non longo, nullo dignandus honore videtur?
Ergò parvus eris: Comes eſſe, vel incipe Princeps;
Incipe Rex etiam, quid eris, niſi ſerviat ullus
Cui cenſus ſit equeſtris, Otho quem finiit, & qui
Nunc eſt, Patriicis qui non ſuffragia vendant,
[14] Publius ut fecit, facit & modo Sempronianus?
Verum hoc frigeſcat. Quotquot ſedere pares jam,
An contemnendi? an nullo ſunt nomine digni?
Nobilitate viri ſpectanda, & moribus æquis
Quos virtus celebrat, populi quos gratia tollit,
Quos commendat opum numerus, quos copia primos
Inſcribit, viles, opici, agreſtes, ἀνάγωγοι
Sunt reputandi, animæ prorſum ad ſervilia natæ?
Quâ lege hoc juſſum? titularia priſca tenentur
Pro reliquis, pro te ſolitus pervertitur uſus?
Una eadem ratio moderatur cuncta, patrare
Quidquid præſcribit populo Rex debet, & una
Regula ſi totum radio præſcripſerit orbem,

Tunc

13 Martia eſt nomen celebre cujuſdam meretricis, ſi cui non placet aliud apponat, me concedente facultatem ampliſſimam.

14 Publius, & Sempronius ſunt vocabula gratis appoſita. Deleat qui vult, & alia nomina veriora ſubſtituat.

Tunc bene conſtabit, ſummi Rectoris Olympi
Unus imago manet; divinæ ſtat bonitatis
Succeſſor Petri, ſpectandum fert ſimulacrum
Juſtitiæ in terris, priſcis quæ picta poëtis
Os filumque Deæ ſimilis, venerandaque prorſus
[25] Virginis in morem, vehemens formidine plena
Acribus atque oculis, recolendæ triſtitiæque
Digno habitu, haud humilis penitus penituſque vel atrox
Sævitiæ ut potius terrens videatur imago;
Clavibus æthereis aperit pia regna Tonantis,
Pandit & inferni feriens anathemate gentes
Clauſtra loci. Pater eſt Patrum; nam major habetur
Quum ſedet excelſus redimita fronte Triregnò,
Quam ſe ſervorum ſcribens diplomate ſervum?
Hiſtoriis forſan ſi ſæcula priſca revolvas,
Poſt Conſtantini diſceſſum, ſignaque ceſſa,
Poſt gladium eductum minor eſt reverentia; Reges
Poplite deflexo curvantur rarius ipſi;
Attila deponit compoſtâ mente flagellum.
Jam Petrus piſcator erat, quum conjuge mendax
Sapphyra occubuit linguæ percuſſa tonanti
Fulmine. Quis ditum potuit nunc talia Patrum?
Aut fugit ad veterem Paſtor perterritus urbem,
Clauditur aut in mole Adriani vixque tuetur
Helvetiûm ſtipata cohors metuenda ſariſſis.
Ad caput ut redeam; titulis ſi augentur honoris
Primores, æquum eſt, creſcant qui deinde ſequuntur,
Aut vacuum dabitur verum à quo mater abhorret,
Quoque ſemel poſito naturæ invertitur ordo,
Et magni omnino ruet orbis machina diſcors,
(Vel Democritarum neget hoc audacia ridens,
Proximet ac multum quo conjungantur Athymis.)
Ornantur plutei cedro, quæruntur ubique
Autographi, calamo deſcripti vel meliorum
Membranis libri, numerus ſine fine redundat
Mediceis, ſpoliat namque his Laurentius orbem;

Et

25 E Chryſippo hanc imaginem offert Agellius lib. 14 c. 4.

Et Senecæ ſtomachum redivivi copia turbat,
Dum veluti vernæ ſordent religante catena
Nec niſi ſupplicibus patet unquam Bibliotheca.
At quis Zenonis legit & præcepta Chryſippi?
Quiſve modum ſtatuit, poſtquam ſibi Pittacon emit,
Qui turbant animos, his motibus ambitioſis?
Quis meminit? Pugnas majorum haud fecimus ipſi,
Ipſi non ſapimus, quotquot ſcripſere, ſed ignis,
Qui jam fulgebat, periit, cinereſque ſuperſunt,
Sordibus & fumus, mors abſtulit omnia, quæ nos
Jactamus fruſtra, niſi viva exempla ſequamur.
[16] O felix igitur Faventia terque quaterque,
Incitat ad curſum quæ cives! Puncta juventus
Sic volat ad metam, nec ſiſtitur acta videndo,
Quæ generoſa manus retro ſignavit Avorum,
Et ſtimulos adhibet, quos imprimit extera virtus
In numero congeſta ſuo, nec quæritur illis
Ex Imaco natus, vel ſanguine Cecropidarum
Si fuerit: parvos nam grandibus æquat, & horum
Gloria conciliat decus, & ſuperaddit amores:
Mutua ſic referunt; Grates ſic gratia gignit,
Atque utrique datur ſe augendi ſæpe facultas.
Namque elati Atavis faciunt; ſcribuntque minores
Ipſi quæ peragunt Arcus valet utraque Phœbi.
Cætera non meritis, ſed ceris turba cohæret,
Ac ſi muſarum ſpectetur origo, vel alto
Quod Jovis è cerebro prodiret Pallas aperto
Vertice, non potius procedant pectore mores;
Non flamma ſanguis caleat, non ſpiritus intus
Nos agat, & quemvis tangat dulcedine fama.
Romulus & Cyrus ſunt capras paſcere viſi,
Alter Romanas, Perſarum condidit alter
Primus opes, perque hos æquata potentia cœlo.
Sardanapalus erat ſuboles ditiſſima Regum,
Filius & Nini Ninyas. Quis perditus æquè
Sordibus eximis? virtus pulcherrima merces,

Cæte-

16 Laudo merita Incitatorum Faventiæ etiam ex hoc titulo.

Cætera diripiunt anni: ruitura per ipſum
Stat pelago puppis, fluctuque pericula quærit.
At ne longa nimis ſtudio cernamus inani,
Quiſnam Sixtus erat, quo non præſtantior alter
Naviculæ Petri Rector? Porcarius haræ
Cuſtos immundæ, fama eſt Montaltius hoſpes.
[17] Et memini, Romæ qui nunc ſecreta miniſtrat
Innocui Patris, merito quem purpura nubet,
Sorte olim media contentum paupere cenſu.
Nec Marios ſolum Arpini, ſolum Cicerones
Conſulibus rus prætulerit, ſed ſæpe Philippos
Sæpe Dioclææ natis-redimire corollas
Frontem Cæſareas quin vidimus iſſe leones,
Chriſtophoros aliquot, Benedictos, atque Johannis
In Cathedram Romæ, quorum reticetur origo.
At ſi quis poſcat cupiens cognoſcere cauſas,
Cur raro emergant, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi? facile eſt occurrere, namque
Clauſa via ad ſacras mendicis reſtat acerras,
Quam pro Mercurii virga nummaria pandit
Vis. Jaceant igitur ſecluſi ſorte neceſſe eſt,
Queis ſublimis erat mens ingeniumque vel acre,
Apta niſi numen, niſi caſus oſtia pandant,
Quos inter rara oſtendant miracula gentis?
Non tamen iccirco quibus offert aurea crinem
Fortuna, in miſeros jus eſt conſurgere cives;
Improba divitias minuit, non abſtulit artes.

17 Sint dicta honoris gratia de ſummo viro, quem ſuæ laudes, non Avorum, etſi non deſint, præconia, commendant famæ.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO VIRO
de utraque lingua optime merito, miraque eruditione & humanitate conſpicuo, Amico dulciſſimo

PETRO ANDREAE FORZONIO DE ACCOLTIS

ARGVTVS

S. P. D.

VEL *Hipponacteo felle ſpicula madefaciens novo genere antiquis ignoto innocens ſtudui prodire. Itaque vitiis nomina, non hominibus imponuntur à me vitia. Cernes hac de cauſſa nihil fortaſſe perſonas ſignificantes. Sed fieri non poteſt, ne vultum alicujus repræſentent. Tu ſi quem videris ſimilem, eſſe illum credito. Erubeſcet haud dubium ille, dicier, Hic eſt. Ego plures novi tali maculâ fœdatos, nullius tamen poſteritati commendavi famam dicteriis & ſcommatibus infamem. Reliquum eſt, ut excuſem, ſi quando liberiori ac laſcivienti calamo paginarum infeci candorem: ſcias velim, rubore prius affeciſſe me immodeſtiam mihi inſolentem; ſed Hipponactæo mori obſecundandum fuit. Puta claudum illum me imitatorem ſui claudicare docuiſſe. Poſtremo illud Auſonii uſurpabo;* laſciva eſt nobis pagina, vita proba. *Tu mendas meas, qua ſoles humanitate, cura, & belliſſime vale.*

De nimis cupidis Rei Familiaris.

SATYRA SEXTA DECIMA.

Postremvs Hipponactis officinâ
Formatus exeat labor, Camœnæ,
Veſtriſque aquis Forzonio, jugique
Sacro ſub umbris dedicetur, omnes
Caro ſuper fratres, ſuper ſororem.
(Nam cœlibi negantur eſſe fili)
Jactis at arcu Apollinis ſagittis
Ferire quos delectat? Inquietos
Avariores & domeſticarum
Rerum tenaciter dolent qui in uſu.
Ergo parantur Fauſtolo, parantur
Floro, pecunia Attalo haud ſecundis,
Quam congerunt, ut montibus gigantes
Sedes petant cœleſtium Deorum;
Vel ut relinquant has ſuperſtites, &
Cuinam? poteſt quis noſſe Zoroaſter?
Quamvis nec argento color nec auro
Sit; nil pyropi, nil micent ſmaragdi
Uſu niſi reſplendeant, ſinuque
Sint rupium, Indicum vel æquor altis
Condat ſub undis, macriore vultu
Tamen videntur gente ſimiarum,
Famemque poſt ſæviſſimam Sicanis.
Si crura ſpectentur, virile membro
Et craſſiore Boncius ſuperbit
Et firmiore; natibus cutis ſtat
Arens, ſtat & culus cacare ſpernens
Ne ventris implendi neceſſitate
Rurſus vocentur, & laboret olla.
Jus ſi mihi foret, triremibuſque
Ergaſtuloque clauderem cibandos
Fætente cruſta nautica malæque

Pa-

Paludis unda; ſic Terentiano
Eſſent Menedemo pares querelis,
Duroque victu. Æque meretur iſtud
Annis graveſcens Phædrus, & tamen ſe
Torquens humo ſciſſa bidente, quales
Solent coloni vere ſub virenti,
Vel ſine menſis ſeptimi prementes
Prœlo Caloenorum, Setino & uvas?
Sed pejus hoc, ſi pejus eſſe quicquam
Poteſt. Habet ſi filios, domus ſpem
Pater, fabis, & pane milicæ vel
Speuſtico plerumque, mucidoque
Nutrit, puſillo qui ſatis palato
Non arceat flammam, cadantque lente
Rapti famis telo miſerrimi, ſeu
Vivant, velut jam mortui & ſepulti,
Omni colore, omni ſapore abacto.
Hirudinès vulgi bibunt cruorem,
Nec pinguiores exeunt, ruinis
Auctam caſam præ ſe ferunt, tamenque
Non redditu pauperrimam parato
Innutriunt; in Tantalum miniſtri
Stygis, canes & inferorum acerbi.
Nam qui videt, monſtrans eos ſodali,
En dicit, en ſævus, vide, Lycaon
Exit! ſatis quænam feræ bovina
Strages erit tali? Greges vorabit
Paſtor, Capriſque ſævus ore morſum
Infiget acri? nullus & clientes
Defendet Alcides manu potenti?
Arcete principes malum, quod urbem
Totam, bonoſque conterit Solones;
Leges tuemini; tuemini nos.
Putas, quieſcant corda, dum hæc feruntur?
Rident, ut arca fulgidos vident hi
Nummos, Deos habent, quibus ferant thus.
Verum caterva tam ſuis iniqua,

Cur divitem cenſum tenax coëgit?
Præſens ſemel ſi labitur viris lux,
Nox una ſemper dormienda reſtat.
Prudens amice vivas ergo laute,
Vivas,. ut hic ſi ſit dies ſupremus;
Famam tibi Pallas, tibique Muſæ
Spondent peremnem mens Deoque ſemper
Perducta per gratas vias; lucro horas
Appone vitæ. Quid juvant onuſtæ
Vel unionibus vel oſtro abollis
Tinctis bis arcæ, ſi ſcelus putatur
Uti, vel ad tempus breve, apparatis?
Nos gaudeamus, & ſimul pharetris
Ambo petamus has aves rapaces
Phinei; lupos hos, vultureſque diros,
Se perſequentes, & ſuos propinquos
Nos lacrimantes, furfurem vorare
Si debeant herbaſque fœdè olentes,
Ne penſio decreſcat hortulani.
Ut eſt eques Strigonius, cinædus
Canus cinædorum, tulit maricas
Qui marcidas, ne ſolveret medenti
Quicquam loco mercedis, aut minutal.
Ut eſt in urbe Marlius Senator,
Malvas eodem condiens aceto
Vel quinquies, linique ſeminis pro
Planta Minervæ fumidum liquorem
Qui educit, & viciniam lucerna
Coinquinat, quum lumen addit igni,
De more quo pediſſequa utitur cum
Filat, vel apponit macram culinam.
Ut Presbyter donatus eſt, preces qui
Legit diurnas lampadarum in æde
Majorum collucentium nitore,
Dum filii ſervæ ſenis jocantur
Pingues nepotanturque garriuntque
Et vulgus ex hoc innovat rumores

Ut eſt Titalli ter quaterque menſam
Unius ovi obſonio replentis
Stylus; ſiti & ſummo calore loram
Victam ſitu bibentis, ut Balinæ
Dono det omnes ruris, atque parvæ
Fructus togæ, quo dormiat cubile
Mœchus Lacænæ; nam nihil poteſt jam,
Ni cunnilingus factus aut ſit augur
Qui captet omen, inſequens columbas
Sororiantes in ſinu petulco.
Hi diſplicent æqualiter Deoque,
Suiſque civibus, proculque pravam
Spirant mephitim, naribus ferendam
Vix Cælimauri, ſordibus fruentis,
Uxoris & quondam ſtrigoſi aſelli,
Quam ſtercorali gaudio movebat
Ex caulibus fimus bovinus, aut mox
Eductus, aut heri, recenſque pellis
Demortuis equis jacentibuſque
Incommodum viæ, cibuſque corvis,
Detracta tabo ſparſa nigricante.
Sed hanc, puto, pœnam, datam quibuſdam,
Vexare debeant ut hoc modo ſe,
Ne imago vivis deſit inferorum
Sibique regna Ditis hic viri aptent.
Quintiliam contra tamen probare
Vix audeo domum, licet mihi ſit
Hæc hoſpitalis, chariorque vitâ
Et Matris ergo, ergoque filiorum;
Totis diebus namque noctibuſque
Ludo vacari non placet, quiete
Neglecta, ubi quietis eſſet hora.
Nullumque lucrum par poteſt labori
Tanto dari; prorſus in hoc nepotem
Et damno cæteros, forent ſuperbi
Si principes, vel Attalo vocati
In rem potentiamque plenè

Totius hæredes quod aſſis ajunt:
Somno ſuas horas dedit magiſter
Vitæ Deus, ſi fecerint Gigantes
Contrariis quid viribus, Typhœi
Bella innovant, Joviſque tela poſcunt.

AD
VIRVM CLARISS.
GRONOVIVM.

Carmina, Gronovi, formis dum noſtra laboras
Tam belle excudi, fers decus, & meritum.
Aonia accipiant hac jam redolentia thymbram
Pierides, non ut ſint mea, ſed tua ſint.

Denique vir ſpectatæ fidei, incorruptæ amicitiæ, præclariſſime moribus ac literis, cui multum decoris & famæ debere fateor ob egregiam limam in hoc opere adhibitam, rogatum te velim, ut extremo Epigrammati hoc Diſtichon addas, ne ingrati omnino animi vitio videar laborare, à quo ipſe majorem in modum abhorreo, quo teſtata apud omnes gentes ingenuis debitiſque verbis relinquam tua merita optima in me, meumque indelebile officium ac pietatem.

VALE.

Liber & à maculis, quas ſive incuria fudit,
Sive manus celerans, ſit tuus ipſe LIBER.

Semper tuus Addictiſſ.

FREDERICVS NOMIVS.

ΤΕΛΟΣ.

Recte fiet, ſi hæc pauca mutaveris.

Pag. 19 *verſ.* 21 *Hod.* Sed Iſtud nomen præponi debet verſui antecedenti, Ne plura. 22, 29. aulæa atheatris *l.* aulæa theatris. 39, 26. ventos *l.* ventus. 47, 27. Vociferat *l.* vociferando. 52, *penult.* legem promittens *l.* legemque profeſſus. 64, 33. Munia Pellæum. Venerans mora ſed ſcelus ingens *l.* Munia Pellæum, pudibunda mora, at ſcelus ingens. 99, 21. Anchiſæ *l.* Anciſæ. 105, 21. quam *l.* quod. 106, 3. aſpis velut improba ſopit *l.* Sopit velut improba Siren. 113, 1. adhuc ...lus *l.* adhuc Colus. 118, 4. paſcit *l.* poſcit. *ibid.* 5. poſcit conclave *l.* penetrat conclave. 176, 16. adſtant *l.* adſtat. 182, 28. lurco. Opus eſt *l.* Lurco hoc opus eſt. 190, 12. nam *l.* num. *ibid.* 28. verum *l.* rerum. 191, 18. Imaco *l.* Imo. *ibid.* *penult.* & Nini *l.* atque Nini. 192, 14. Johannis *l.* Johannes.

Digitized by Google

Digitized by Google

005641556